

For the Library of the Royal College of Physicians from the Editor —

THOMÆ SIMSONI

DE RE MEDICA

DISSERTATIONES QUATUOR.

THOMÆ SIMSONI,

MEDICINÆ PROFESSORIS CANDOSSENSIS,
IN ACADEMIA ANDREANA, APUD SCOTOS,

DE RE MEDICA,

DISSERTATIONES QUATUOR.

IN USUM
MEDICINÆ ET HUMANITATIS STUDIOSORUM
ITERUM EXCUDI CURABAT
ANDREAS DUNCAN SENIOR, M. D. & P.
PRINCIPIS SCOTIÆ MEDICUS PRIMARIUS.

HIS ADNECTUNTUR,

De Asthmate Infantum Spasmodico, Dissertatio,
Auctore JACOBO SIMSON.

De Alvi Purgantium Natura et Usu, Dissertatio;
ET
De Laudibus Gulielmi Harvei, Oratio,
Auctore ANDREA DUNCAN.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII;
VENALES PROSTANT
APUD ARCHIBALDUM CONSTABLE ET SOCIOS.

1809.

AMICO INTEGERRIMO

HENRICO ERSKINE,

HÆC OPUSCULA

ANDREAS DUNCAN.

AMICO INTEGERRIMO,

PER ANNOS QUINQUAGINTA, ET AMPLIUS,

HONORABILI

HENRICO ERSKINE;

QUO,

NEMO STUDIOSIUS,

NEGOTIO OPERAM DAT,

NEMO ELEGANTIUS,

NEGOTIORUM INTERVALLA, OTIO OCCUPAT;

HÆC OPUSCULA,

ITERUM EDITA,

COMMENDAT TRADITQUE,

ANDREAS DUNCAN.

OPUSCULORUM ORDO.

DISSERTATIO

DE

RE MEDICA

DISSERTATIONES QUATUOR

THOMÆ SIMSONI,

MEDICINÆ ET ANATOMICES, IN ACADEMIA
SCOTORUM AD FANUM ANDREÆ,
PROFESSORIS CANDOSSENSIS.

Omnino scientia ex Naturæ lumine petenda, non ex antiquitatis obscuritate. Nec refert quid factum fuerit; illud videndum quid fieri possit. BACON. Impet. Philos.

Omnium magnarum artium, sicut arborum, altitudines delectant; radices, stirpesque non item. TULL. in Orat.

ORNATISSIMO VIRO,

JACOBO,

DUCI CANDOSSENSI, &c.

Universitatis ad Fanum Andreæ
Cancellario dignissimo:

Professionis ibidem Medicæ Conditori munifico:

PATRONO suo plurimùm colendo, verendoque:

HAS DISSERTATIONES MEDICAS,

tanquam frugum primitias,

quâ par est observantiâ,

dicat consecratque

Cliens devinctissimus,

THOMAS SIMSONUS.

INGENUIS

MEDICORUM

FILIIS

S.

En tibi, quisquis es qui Medicinam colis et prosequeris, libera quædam isthuc spectantia cogitata; unde scias nondum ita artem illam numeris esse absolutam suis, ut defutura sit materia, in qua et ingenium et industriam tuam abundanter exerceas. Quamvis enim divinus Hippocrates *inter* Græcos, *elegans inter* Latinos Celsus, *aliique non pauci, cùm veteres tùm recentiores, viri egregiè docti, multa cum laude, nec parvo labore, artem illam, pro suis quisque viribus, excolere contenderunt; multa tamen adhuc ad perfectam consummatamque disciplinam desiderantur, multa adhuc supplenda, multa corrigenda, nec pauca expurganda supersunt.*

Hoc

Hoc ut ostenderem, ante omnia mihi de MATERIA MEDICA *agendum censui, quòd ea pars omnium visa est infirmissima, pessimisque adhuc accepta modis. Licet enim non ita pridem solers* HARVEUS, *repertâ fortè quâdam majoribus ignotâ sanguinis animalis rotâ, novam visus est munire viam ad veram solidamque medicinæ theoriam; prorsusque jam inde alia obtinuit machinæ humanæ explicatio: tamen quod mireris, adeo non mutata est, aut in melius novata (pauca si excipias) veterum praxis, ut potiùs ad eam, tanquam ad aram sacram, tutamque veri normam, à plerisque etiamnum provocetur, qui in id ferè unum incumbunt, ut antiquam curandi rationem novis Anatomicorum experimentis illustrent atque confirment: unde effectum est, ut exquisitissima nobilissimaque recentiorum inventa, quæ lucem sanè haud vulgarem medicinæ fæneratura videbantur, in meros abiêrint fumos; dum unis antiquorum placitis nimiùm per se vagis et incertis, exornandis commendandisque serviliter addicuntur.*

Sed quia fortassè petulantis esse hæc, atque rei

rei medicæ nimis ignari, convitia ducent, qui tot gloriosa remedia singulis ferè morbis tam affabrè accommodata in ore semper habent, laudant, admirantur; quorum alia, si credis, incidant, alia dissolvant, variisque modis mutent emendentque pravos humores corporis, quò, tanquam ad metam sibi unicè propositam, nituntur conspirantque nunc omnia propemodum Medicorum in morbis curandis vota et consilia: ideo non ab re facturum me putavi, si paulò diligentiùs considerarem, quæ quibus valetudinum indiciis remedia vulgò adhibeantur, quàmque id consultò cogitatèque fiat: deinde speciminis loco morbum illum nominatim enucleandum subjicerem, quo nullus omnium, nostri certè soli cælique homines, frequentiùs graviùsque angit et perturbat, cui, à causa effectrice, adhæsit nomen Frigoris.

Hunc ego morbum, nisi me fallit animus, neutiquam à corruptis humoribus, (quæ vulgi est opinio), profluere ostendi: eàdemque operâ in ejus curatione frustrà advocare ab aliis Incidentia, *ab aliis* Dissolventia *aut* Aperientia, *aut*

aut si quæ his similia sunt Speciosa, *multumque decantata remedia: idemque in aliis quoque morbis perperam temerèque fieri, ubi tamen istorum maximè percrebuit usus.*

Atque hæc tibi præbebit tertia, itemque quarta, quæ sequitur, Dissertatio, viz. post ordine pertractatam, generatimque prius, ut oportuit, excussam, Materiam Medicam.

Ubique libero usus sum judicio, refragante licet antiquitate, principumque adeò artis nostræ auctoritate, atque etiam consensu vulgi; quia, uti dudum sagax monuit VERULAMIUS, *prorsùs persuasum habeo, " Nimium in his re-" bus religionem ingenia hominum veluti ex-" cantâsse, prosperumque salutaris hujus artis " cursum jamdudum sufflaminâsse:" Tum quia istam libertatem æquam, hominumque saluti in primis utilem, exigere videbatur cùm officij ratio, tum* Patroni, *qui nobis hæc otia fecit*, summa atque perpetua observantia.

T. S.

Ad Fanum Andreæ, MDCCXXV.

DE

DE

ERRORIBUS

TAM VETERUM QUAM RECENTIORUM

HOMINUM,

CIRCA

MATERIAM MEDICAM,

CONCIO INAUGURALIS.

Tantum præjudicata opinio poterat, ut etiam sine ratione valeret auctoritas. TULL. *de Nat. Deor.*

Medicamentis multum antiqui Auctores tribuerunt, horum autem usum ex magna parte Asclepiades non sine causa sustulit. CELS. *Præf. ad lib. 5tum.*

Siquidem in morbis, cum multa fortuna conferat, medicamentaque sæpe salutaria, sæpe vana sint, potest dubitari, secunda valetudo medicina an corporis beneficio contigerit.
Id. Præf. lib. 7.

EXSPECTATIS forsan, qui huc adestis, animis erectis, intentisque auribus, disserentem protinus audire *novellum* medicinæ

 magistrum

magistrum de *divina origine*, *summa utilitate*, atque adeo *necessitate Artis Medicæ*, *Medicorumque præcipua* post homines natos *dignitate*: quod hæc peroranti et ad *gratiam* captandam, et ad *exultandum*, latissimum videantur præbere campum.

§ 1. At cùm verba blanda spernat *Veri* indagandi cupidus, in fructumque solidum quàm in præconceptam suæ *Artis* famam intentior animus; ignoscetis scilicet, si omni, quantum potest, præjudicio liber, vanâque artis nostræ observantiâ, in ipsa ejus penetralia statim invadam, dogmata excutiam, atque varias diversasque expendam medendi vias et rationes. Neque enim temerè suspicari videor, nimiùm hucusque invaluisse fucum et pigmenta; nobilioraque hujus Artis præcepta, sub immensa apparatuum mole, tanquam sub rudere, oppressa atque sepulta jacuisse: omneque illud priùs amoliendum esse rudus, quàm in Artis vera fundamenta penetrare liceat.

2. Sed

2. Sed opus aggredi jubet illustrissimi serenissimique Herois, JACOBI Candossensis, summa bonarum artium colendarum cura, simul et vester honos, Academiæ curatores inclyti, quorum ille hortatu maximè *munificentiam*, quam principiò ad alia destinabat studia, deinceps ad Medicinam Andreapoli excolendam perpetuò consecravit.

3. Igitur apud Vos colendæ medicinæ jam operam navaturus, rectè mihi videor et *auspicatò* provinciam datam ingredi, si ante omnia in aperto ponam, perstringamque varia et diversa vitia, quibus jam inde à principio contaminata est, et etiamnum obruitur, *Materia Medica*, dum ejus cura atque cultio, tanquam ab homine medico aliena, chymicis inanibus, aut sedulis herbariis, aut medicamentariis putidis, solùm committitur: quorum ab ingenio malè facto, sinistrove studio, tantus est exortus extructusque inutilium, incertarum, indigestarumque observationum acervus, ut vel nullus, vel exiguus admodum operæ fructus inde reportari queat, atque adeò ut impedia-

tur potiùs quàm juvetur exoptatus medicinæ successus.

4. Fatemur equidem Chymicos, Botanicos, Pharmacopœos, varia cùm Artis tùm Naturæ effecta, *medicamentorum* nomine, describendo, ingentes exhausisse labores ad prolixam *Materiæ Medicæ* institutionem adornandam: quin etiam rerum sibi objectarum faciem externam, et locum natalem, et formas varias atque ex resolutione chymica, diversisque mistionibus subinde emicantes, mutationes accuratè notando, egregiam quidem operam navasse ad *Historiæ Naturalis* summam, ast ad *Medicinam* mehercule parum: cùm nihil intersit Medici, quâ facie, quo loco, quanto opere res aliqua producatur, quamque insignes sint ejus jam productæ, atque ad diversa corpora applicatæ *vires*, nisi etiam certò sciat, quemadmodum sese istæ exerant vires in hos illosve humani corporis *morbos;* quâ solâ conditione apud Medicos nititur, aut certè niti debet, medicamenti, seu *remedii* cujuscunque, cùm nomen, tum opinio.

5. In

5. In confesso est, magnam Medicorum partem non priùs fidere remediorum viribus, quàm in ægrotantibus easdem aliquoties exploraverint (unde ex professo se nuncupant Empiricos) at ex annalium monumentis, palam est, bonos illos viros parum animadvertere, * "Ipsi Medicinæ ratione opus esse inter "naturales actiones, ipsamque experientiam "per se solam non usquequaque nostris re-"spondere votis, nisi regulis subjiciatur. Ut "enim difficilis est ad experimenta aditus "sine ratione, sic absque ratione experimen-"ta nunquam Medicorum usibus certò ac-"commodari possunt."

6. Sed inter illos quoque qui *rationalem* profitentur Medicinam, maxima sæpe lis est de rationum allatarum momentis, dum suo quisque gaudet gloriaturque sensu. Quod ergo, inquies, erit Criterion, cujus ope inter tot sententias discrepantes, cognoscatur veritas? At nos, ut id sciatis, nullum neque admittimus neque petimus criterion.

* Cels. Præf. lib. 1.

7. Itaque vestram, Auditores, patientiam tantisper oro atque deprecor, dum vulgò receptas investigandarum remediorum virium rationes excutio; vobis deinceps integrum servaturus, ut, quid sid inter tot opiniones discrepantes verum, veritative proximum, ipsi statuatis.

8. Quod si argumentis brevibus rectisque evincam, de maxima eorum parte, quæ pro certis adferuntur in *Materiæ Medicæ* institutionibus, maximum superesse dubitandi locum, utique propositi nostri compotes erimus. Nullum quippe artium progressibus putamus intervenire posse gravius impedimentum, quàm ipsa magistrorum artis præjudicia: contrà, nulla re juvari magis æquum veritatis investigatorem, quàm ut præjudicia, quibus aliquando temerè occupatus fuerit, maturè odoretur. Nostræ enim rerum naturalium notiones anticipatæ, ab ipso sæpe naturæ more et instituto nimisquam abhorrent, etsi erroris nostri ægrè convincamur, quamdiu ignoratur, quid ipsa faciat feratve natura.

9. Ergo,

9. Ergo, Naturâ duce, in proposito examine procedere nobis certum est; idque duntaxat pro legitimo admittere experimento, cujus omnes et singulæ conditiones dilucidè exponantur, ita ut, cùm opus est, quivis è vulgo artifex possit id eâdem fiduciâ repetere, atque Physicus ritè instructus potest unum aliquod Neutoni de coloribus experimentum. Quippe extra conjecturam poni debet res medica; neque absque desperata ægri salute tentare licet anceps remedium. Quid enim, amabo te, viro bono indignius, quidve imprudentius, quàm dubiis et malefidis experimentis credere charam sanctamque popularium vitam? Hìc audiamus licet Tullium: "Quid temeritate, inquit, turpius? Quid tam temerarium, tamque indignum sapientis gravitate atque constantiâ, quàm aut sentire falsum, aut quod non exploratè perceptum sit et cognitum sine ulla dubitatione defendere?" Ast ea et scribere, et quâ valent auctoritate apud credulos divendere, multò etiam turpius: quod tamen illi factitant, qui tanquam expe-

rientiâ roborata tradunt posteris, quæ non nisi lubrico nitantur conjecturæ talo.

10. Neque illi se dant meliùs, qui obscure et oscitanter adeò tradunt res sibi oblatas, ut ab aliis per nimiam illam tradendi supinitatem nunquam possint intelligi. Nam ita fit, ut posteris perinde sint illorum hominum reperta, aç si nunquam fuissent.

11. Et quidem à multis retrò seculis multùm jactantur remediorum vires: si autem de virium istarum causis quæras, nullas invenies; quin potiùs unde persuadearis, ingentes sæpe vires levibus de caussis attributas esse medicamentis, quibus mox alii, heu! nimiùm creduli, hominum salutem committentes, mirum quot quantasque excitârunt tragœdias.

12. Agnoscunt facilè omnes ultimam *Materiæ Medicæ*, non secus ac totius *Medicinæ*, *originem* esse abstrusissimam: atque hinc fabularum amantes, ut genio indulgerent suo, amplam

amplam garriendi copiam, quanto securiùs tanto lubentiùs arripuisse, indolem præferentes vulgi profani similem, cui nihil æquè magnum sonat ac prodigia. De miraculis planè incompertis mirè efferunt sese: quicquid extra ordinem fit et naturæ legem, arridet plurimum: contrà, quod naturæ moribus respondet, id velut ignavum quidpiam et ignobile, parumque divinum, floccifaciunt. Pari modo Medici Principum artis suæ conditorum immensâ capiuntur admiratione, iisque semper plus honoris deferunt, qui carminibus, amuletis, ac præstigiis magicis, aliquid in Medicina præstitêre, quàm qui certis indubiisque experimentis remediorum vires explorârunt.

Quot jam, quæso, secula famam suam protulit Polydius, ob Glaucum Minoïden, si placet, vitæ redditum, adhibitâ unâ herbulâ, quali serpentem aliquando feliciter usam viderat, ad enectam serpentem resuscitandam. Melampus item, quòd Iphiclum, bonis, ut aiunt, avibus, proli generandæ aptum effecisset remedio, quod vulturis admonitu primus didicerat. Hujusmodi præstigiatores multi

ti celebrantur apud veteres Medicinæ scriptores, apud quos utramque semper paginam complet sagax et dextera somniorum, extorum monstrorumque interpretatio. "Primum om-"nium fuisse Orpheum, quos memoria novit, "qui de herbis curiosiùs aliquid prodiderit, "refert Plinius:" cujus tamen viri peritiam omnem in superstitioso quarundam herbarum, et canoræ cytharæ usu, constitisse deprehendimus.

13. Quamquam hìc Ægyptios ob summam usque ab ultimis temporibus in Medicina laudem præterire nefas est; nihilo tamen secius, ubi eorum *Investigata* mecum reputo, nihil fermè non sive ex oraculis, sive astris, seu denique ex bestiarum monitu, erutum comperio. Hoc unum iis proprium esse dixeris, quod plantas in Deorum numerum retulerint, quorum religionem insanam meritò sic ridet Satyricus *:

O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina! ——

14. Atque

* Juven. Sat. 15.

14. Atque hujus farinæ fabulæ à priscis sive Medicis sive Poëtis compositæ, per aliosque mox, tanquam fœcunda quædam semina, in vulgus sparsæ, chimeras multas, et *informes* quasi medicamentorum *molas* postea excluserunt, quas simplici et incauto populo pro genuinis artis fœtibus, quibus egregiæ inessent vires, non solùm ad morbos contumaces retundendos, verùm ad dæmonum quoque insultus et veneficorum furias extemplò averruncandas, audacter obtruserunt. At de artis ipsius regulis altum apud illos ubique est silentium, nisi fortè fraudem nobis fecerit historia: id quod non ab re mihi videor suspicari ex auctore antiquissimo Hippocrate, qui disertis passim verbis affirmat, "Artem Medicam multis ante bellum Peloponnesiacum annis haud segniter fuisse excultam:" de qua ille idcirco, tanquam de re vetusta, perquam magnificè interdum loquitur.

15. Verum quantumvis illi homines sagaces fuerint, aut quibuscunque modis hanc artem exercuerint, nostra in præsens nihil refert,

fert, ad medicamentorum certè vires expiscandas; quum ad hoc illi quidem nullum certum reliquêre fundamentum aut vestigium, nedum ullum doctrinæ interioris specimen, nisi quod incertâ ariolatione consequamur.

16. His itaque missis, ut incertis et futilibus, ad Hippocratis scripta nosmet convertamus, qui quidem non immeritò Medicinæ *Parens* dicitur, cùm ante ejus tempora nihil in arte Medica integrum aut illæsum comperiatur. Is igitur, qui ab omnibus pro viro habetur *arte insigni*, quin undique expenderit summam illam obscuritatem, quæ solicitis veri indagatoribus intervenire priùs solet, quàm sibi ritè viam ad experimenta muniant; quin etiam varias ac multiplices conditiones circumspexerit, quarum in experimentis defungendis nunquam non habenda est ratio, ecquis facile dubitet? Præsertim quum solenni Aphorismo ipse pronuntiet, *Periculosam esse experientiam, judicium verò difficile:* maximè si Galeni audiamus commentarium huic Aphorismo subjectum, cujus hæc sunt verba:

"Nam,

"Nam, ut verum fateamur, difficilis hæc res "est, et inventu rara, cùm post multa reme- "dia ægrotanti adhibita, quodnam ex iis in "causa fuisse dicatur, ut melius pejusve ha- "beat æger: ut si, *e. g.* bene dormierît, de- "inde unctus, mox emplastrum adhibitum, "tum clyster injectus, vel sponte naturæ se- "cuta est alvi dejectio; deinde comederit, "certosque cibos sumserit, ad postremum ju- "vamen senserit aut nocumentum: non fa- "cile, inquam, dictu sit, quodnam ex iis quæ "circa eum gesta sunt, aut juverit aut nocu- "erit." Hæc ille. Quod si præterea consideremus ex quot, quamque variis componatur partibus corporis humani machina, quotque in eam perpetuò agant caussæ, maximè ubi multiplicantur ingesta, forisque applicata, Galeno quidem facili negotio assentiemus, rem esse arduam, inventuque raram, immò tantæ difficultatis, ut ipse Medicorum princeps Hippocrates, quanquam alieni periculi cautor, non tamen hac in parte sibi ipsi viam expediverit.

17. Atqui hoc loco observatu dignissimum mihi videtur, Hippocratem, ubi de *morbi* ingenio satis constabat, non nisi pauca præcipere remedia; ubi verò (quod idem hodièque usurpatur) ex objectis signis ad morbi indolem penetrare non licebat, sed vaga tantùm et obscura suppetebant indicia, ad morbi speciem definiendam certamque prognosin inferendam neutiquam idonea, (cujusmodi sunt ea ferè quæ hoc temporis affectionibus scorbuticis atque hystericis vulgò tribuuntur), tum demum ingentem conspici apud eum remediorum turbam. *At ignotum morbum remediis ignotis velle pellere, id verò præcipitis conjecturæ laborisque improbi, non artis opus.*

18. Horum autem veritas liquidò apparebit, si quis inter se contendat ea quæ tradit in libris de morbis populariter grassantibus, quæque alibi promit de *natura muliebri.* Nam illic perdistinctam atque enucleatam tradit morborum rationem, remedia verò paucissima; hîc verò, propter descriptionis inopiam, dubios relinquit lectores de ipsa morborum natura,

natura, quibus curandis incumbat, at remedia confertim ac plenâ manu ingerit: ita tamen, ut satis appareat, adhibendi vel nulla adfuisse ei indicia, vel certè ita obscura, ut nulla inde erui queat lux in usus nostros. Qui exempla cupit, expendat modò quales hæ sint morborum notationes:

"Si uteri ad ventrem vergant.

"Si uteri ad crura et pedes vergant.

"Si mulierem ex uteri dolore invadat cibi
"fastidium, febris, et rigor.

"Cum mulier ex longo intervallo non con-
"ceperit, mensesque comparuerint *."——

Quam sint hi casus vagi et soluti, quàmque indefiniti, cuilibet in proclivi est. Ubi autem non definiuntur casus, quid dicemus tandem de appositis remediis? Sed ut hujus rei, in qua tam crebrò tamque turpiter non ab illo uno, sed a toto ferè peccatur Medicorum grege, exemplum

* Sect. 5. p. 580. Ed. Fæs.

exemplum proferamus, audite sanè præscriptum, *ad omnem uterorum dolorem* * :

"℞ Violæ albæ semen, quantum tribus digitis comprehenditur ; stercoris caprini pilulas quinque aut sex. Hæc vino odoratissimo permisce, adhibeque, post fomentum ex aqua et oleo sedenti administrandum.

——Brassicam edendam, et succum sorbendum dato : Fraxini pilulas circiter decem ex vino propinato."

Ecquis jam obsecro dicet ex arte institutum esse hoc remedium ? quando tam diversa, sine ulla temporis notatione, vel symptomatum indicio, cumulatim præscribuntur. Quis non hìc dormitare dixerit bonum Homerum nostrum, quem, sine ullo delectu, contra omnes etiam uterorum dolores, *catholicum* videat proponentem remedium, nihilque interim laborantem, an ab inflammatione, abscessu, ulcere, uterive procidentia oriantur ; an dolores sint ex menstruorum

* Pag. 571.

struorum solutione (quæ quidem ipsa, ut prætericns id moneam, à multis variisque pendet causis) an denique ex puerperio: qui certè omnes, uti genere multùm differunt, sic remedia longè diversa postulant.

19. Quod si hoc unicum esset in Hippocrate exemplum præscripti perfunctorii, id sanè injuriâ carperemus: cùm autem ab illo raró proponantur remedia luculenter indicata, utique speramus neminem ægrè laturum esse has nostras de ejus *præscribendi ratione* querelas. Quod si nobis sermo esset de ejusdem viri peritia in morbis curandis, agnoscere haud pigeret, permagnum hac in parte fuisse ejus ingenium; non id quidem ob remediorum accuratam aptationem, verùm ob mirificum in prognosi acumen. Quemadmodum enim sedulus gubernator in puppi sedens, tempestivo constantique gubernaculi objectu, contra sævissimas venti procellas fluctuumque impetus, magnæ molis navem, parvulo instrumento, quocunque vult, agit dirigitque: sic ille acuto

 expromptoque

expromptoque prognosios telo, facilique rerum *non-naturalium* accommodatione, morbos truculentissimos latissimèque sævientes pacavit atque edomuit.

20. Hippocratem dum laudo, in mentem venit consimilis planè viri, *Aretæi Cappadocis*, de quo proinde pauca mihi dicenda. Ex scriptis apparet, eum quidem in remediis adhibendis diligenter respexisse ad proprias cujusque vires, vel (ut Sydenhamus loquitur) ad indicia *curativa:* at in morbis obscurioribus multa videtur observâsse indicia, multisque paruisse, citra ullam, quantum quidem ipse docet, necessitatem. Ubi Cephalææ *v. g.* curationem tractat *, " modò sanguinem mittere, " modò liberaliùs alere, alvum moliri, cucur- " bitulas adhibere, sternutamenta movere," atque alia plurima facere jubet, quorum licet per se satis manifesti sint effectus, ex promiscuo tamen adhibendi modo satis constare videtur, illum inter hæc ignorâsse quasnam ea morbo

* Cap. de Cephalæa.

morbo mutationes inductura essent. Id quod ipse etiam disertis verbis confiteri videtur ad locum modò adductum, ubi post omnia adhibita remedia, de eorundem effectibus dubia hæcce verba subjungit: "Quibuscunque verò "per hæc non depulsus fuerit morbus, iis re- "liquum est, ut veratro utantur." Itaque palam esse puto, ex Aretæi sententia, Cephalæas alias citiùs, et remediis paucioribus, alias non nisi pluribus et longo tempore persanari. Hoc ampliùs. Ubi Cephalææ historiam tradit, varias ille quidem ejus morbi species enumerat; at in curatione eas nullo discrimine habet, verùm omnes similiter sanare instituit, atque olim ad lacum *Bethesdæ* factum accepimus, ubi post unam simplicemque aquarum turbationem, qui primus descendebat æger, sanus evasit, quocunque demum teneretur morbo. Quamvis itaque Aretæo hæc omnia licebat indifferenter et fortuitò experiri; non tamen video quorsum ista memoret, nedum commendet aliis, cùm non videantur tentantis respondisse votis. Cæterùm ob hoc debetur Aretæo laus, quòd Medicinæ studium à *sapi-*

entiæ studio disjunctum usque retinuerit, neglectis planè omnibus Medicastrorum sectis, ut Hippocratem hac in parte sequeretur ducem, qui omnium primus, ut fidem facit Celsus, disciplinam alteram ab altera laudabiliter separavit, quas postea Galenus turpiter remiscuit et contaminavit. De cujus nunc scriptis quædam ordine notanda censeo, ob magnam scilicet hominis apud plerosque famam et auctoritatem.

21. Is omnibus nervis, ut aiunt, remediorum viribus venandis exquirendisque incubuit, nullam non attentans viam ansasque arripiens cujusquemodi: unde factum est, ut peringentis equidem laboris vastæque molis opus exegerit, at idem, si verum quæris, rude et indigestum. Tametsi enim multorum antesecculorum laboribus, Aristoteleis quoque distinguendi legibus præmunitus instructusque erat, nihilominus in anfractuosum ingressus labyrinthum, huc atque illuc, ab incerto biviorum occursu, miserè distractus, sine fine errat: dumque de variis medicamentorum principiis,

principiis, de *propriis* et *communibus*, et *ab accidente* facultatibus, innumerisque aliis distinctionibus agit, omnes simul sensus consulens, omnia confundit, et contra se ipse sæpe arguit: in quem proinde non immeritò suo transferas quod de Ægypto alicubi cecinit Homerus:

Αἰγυπτίη· τῇ πλεῖστα φέρει ζείδωρος ἄρουρα
Φάρμακα, πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά. Οδυσσ. Δ.

Fertilis Ægyptus rerum medicamina mista
Optima multa, sed et deterrima plurima profert.

Multa quidem ille proponit clarè, sæpe necessariis utitur distinctionibus, multaque dudum pervagata Medicorum dogmata meritò rejicit; et tamen sibi, nescio quo fato ductus, temperare non potest, quin sciens prudensque aliquando erret. Quis enim in re medica veriorem utilioremque suggessit unquam observationem, quàm Galenus, libro de *simplicium medicamentorum facultatibus*, ubi, super Abrotano verba faciens, hæc habet: "Qui

 "ex

"ex ratione artem hanc tractare volent, iis "opus est curandi methodo; alioquin dam-"num potiùs quàm utilitatem ferent ex tali "enarratione. Sanè Hippocrati, qui in A-"phorismis scripsit, *Dolores oculorum solvit "meri potio, aut lavacrum, aut fomenta, aut "sanguinis missio, aut purgatio:* nec adjecit, "quosnam dolores vini potio, quos lavacrum, "quos fomentum, quos detractio sanguinis, "quos denique purgatio curet; ignoscendum "forsitan quis putet variis de causis. At qui "non in aliis libris de talibus copiosè scrip-"sêre distinctionibus, sed aphoristicè tantùm "breviterque scribunt, aut ex multis tantùm "unum indicant, ii profectò nos plus lædunt "quàm juvant. Quippe cùm sint multæ "ophthalmiarum differentiæ, quarum una "duntaxat prædictum postulet cataplasma, "dum aliæ omnes ab eo læduntur, si quis "istud sine discrimine adhibet, multò plus "lædet quam juvabit." At idem Galenus, ubicunque de medicamentorum compositione loquitur, eundem errorem, quem in Hippocrate reprehendit, ipse errat. Nam cap. de *Nephriticis,*

Nephriticis, v. g. ubi de renum morbis agit, varia proponit morborum renalium genera: at ubi remedia præscribit, nullam omninò rationem habet istorum morborum differentiæ. Itaque ad renum et vesicæ affectiones aliàs præcipit confectiones, quas vocat Renales; aliàs ad vesicæ affectiones, ad urinam ciendam, ad hepaticos, hydropicos, ictericos, nephriticos unum proponit commune remedium, quod idcirco, me judice, haud ineptè dixeris *Remedium milleforme*. Ex his igitur exemplis pro se quisque judicet, Galenus an Hippocrates remedia distinctiùs tradiderint.

22. Hoc unum in præsentia addo. Ad doctrinam aliquam comprobandam frustrà advocari Galeni auctoritatem; quæ passim omnibus medicorum, quotquot sunt, sectis æquè faveat. Per eum namque omnis doctrina de remediorum viribus in sterilem verborum pugnam vertitur, dum in historiæ naturalis locum sua cerebri commenta surrogat. Quare ad Galenum ejusque sectatores accommodes licet nobilis Verulamii dictum in Philosophos Græcos.

Græcos. "Habent illi certè," inquit, "quod "puerorum proprium est; ut ad garriendum "prompti, ad generandum verò sint inhabi-"les." Similiter enim Galeni sapientia mihi quidem verbis gravida, at rerum operumque sterilis atque inanis videtur.

23. Post Galeni tempora quis Materiæ Medicæ status fuerit, pudet pigetque proloqui. Ruebat semper in deterius, cùm, ut in re præcipiti plerumque fieri solet, Arabes subitò exorti prioribus hujus disciplinæ cladibus, ex schola Aristotelis plurimùm promanantibus, novas addiderunt corruptelas ex arte sua *chemica*, quæ tum, iratis Dîs salutaribus, haberi cœpit unicum, aut certè præcipuum, labantis medicinæ fulcrum. Ex hac malorum Lernâ prope suffocata est quæ hominum saluti præsidet ars melior. Inde enim Medici, crassissimis immersi tenebris, passim in agyrtas improbosque circulatores, de arcanis remediorum viribus, de primis rerum naturalium elementis, de resolutionibus et misturis chymicis, tanquam naturæ mysteriorum clavibus, multa et

magnifica

magnifica crepantes, degenerârunt. Effectumque est sanè, ut *Materia Medica* ad immensam nunc obscuramque molem increverit, postquam sanioribus veterum inventis admistæ horum nugæ ad nos pariter descenderunt: quibus pol expurgandis, atque, ut par est, discernendis, non secus atque olim Augeæ stabulo, opus nunc est altero Hercule. Quandoquidem, uti fert canon æquissimus, vel *unum incertum experimentum, multis copulatum certis, omnia simul incerta reddat; ignavis saltem, qui ex auctoritate sola evidentiam quærunt.* Sic enim nutat omnis scriptorum fides atque auctoritas, eòque magis quò plura promunt incerta.

24. Hunc si nos canonem ad illorum consuetudinem accommodemus, qui seculo proximo sanioribus accensiti (ob instaurata post longam desuetudinem Hippocratis præcepta) gloriam meruere, Holerium dico, Duretum, Jacotium, Platerum, Riverium, Etmullerum, horumque similes: inveniemus profectò maximum adhuc superesse dubitandi locum de remediorum

mediorum quæ adhibuerunt viribus, apud quos *sanguinis missio*, *vomitus*, *purgatio*, variaque *alterantium* genera, à principio usque ad finem morbi ita indifferenter præscribuntur, ut ne quidem ipsi Æsculapio in promptu sit dicere, quid cui nocuerit, aut juverit, quæve fuerint singulorum partes symbolæque in morbo profligando: adeò apud illos nulla certa comparent vestigia, unde vel ipsi remediorum vires investigaverint, vel nobis id nunc facere liceat.

25. Hoc cùm animadverterent multi insignes nostræ memoriæ viri, rem totam ad incudem revocare cœperunt, alii secundum tritas vetustorum vias, alii novis rationibus ad sanguinis *circumductionem* non ita pridem repertam exactis. Quæ nunc mihi examinanda veniunt. Quod si quis existimet nos hactenus leviori pede veterum percurrisse scripta, is veterum rationibus easdem modò regulas admoveat, quibus nos hodiernorum hominum methodos jam nunc examinaturi sumus: nam id si fiet, omnibus cumulatè satisfactum iri speramus.

26. Ad

26. Ad rem ergo ipsam aggrediamur, initio ab illis ducto, qui nos ab *externis sensibus*, discere jubent remediorum vires. In his eminet vir doctus D. Joannes Floyer, qui, ut ex scriptis liquet, ad explorandas remediorum vires aliud nihil postulat quàm *gustûs* experientiam. "*By the taste*," inquit, "*we distinguish the sweets into their several classes, and we discern* tempers *and* digestions, *and mixture of their principles, and hence easily guess at their effects in animals* *." Hac ille insistens viâ, tractationem de *Materia Medica* duobus voluminibus comprehensam evulgavit. At quis sit inter sensus nostros et morborum causas nexus, ut ex illorum testimonio rectè definiamus, quantum quidque valeat ad morbos depellendos, me equidem fugit quàm longissimè. Neque enim alia mihi videtur quàm histrionum esse subtilitas, quæ ex solo, *v. g.* equiseti gustatu vim eruat hæmorrhagiis inimicam,

* Phil. Trans. per Jones, vol. v. pag. 408.

inimicam, aut ex plantaginis aquaticæ sapore deprehendat scorbuti hydropisque antipharmacum. Quot sodes plantæ sunt saporis asperi, amari, dulcis, quæ, saporem si excipias, vix quicquam commune habent, quæque aliter quàm per linguam exploratæ diversissimas ostendunt qualitates. Quo jure igitur linguæ, præ cæteris omnibus noscitandi organis, concedetur, ex iis quæ sese ei offerunt qualitatibus, de aliis, quæ non nisi aliter cognoscuntur, pronunciare. Physicis sanè constat, ex nova corporum inter se collatione novas quoque oriri rerum facies; saltem ante periculum sciri non posse quin eventuræ sint. Quare cùm innumera sint corpora, quibus, in hujusmodi facierum, seu phænomenῶn, productione, aliàs aliud possit corpus conjungi, utique manifestum est omni omninò corpori inesse sine numero vires dissimiles inter se. Dicitur enim id omne *vis* et *facultas* corporis, cujus interventu quælibet alterius corporis qualitas aut conditio immutetur, ut ab unius corporis in alterum effectis, ad ejusdem

in

in tertium aliquod effecta argumentari absurdum sit: nedum ab hujusmodi collatione remedium invenire, quod pluribus simul satisfaciat morborum indicationibus: quod tamen omninò necessarium esse duco, antequam vel hydrops vel scorbutus curationi cedat. Verùm ut de gustu cæterisque sensibus, quibus multi abutuntur in remediis eligendis, penitiùs agamus: nonne plurima videmus medicamenta maximam in corpore humano vim habentia, quæ, si admoves sensibus, parum eos certè aut non omninò afficiant? Quis tandem odor est vel Chrysocollæ, (quæ vulgò Borax dicitur), vel Ipecacuanæ? præ quibus tamen nulla sunt certiora subsidia, hâc ad vomitum, illâ ad ciendos quandoque menses. Ecquo modo linguam naresve afficiunt vel hydrargyrum *, vel stibium †, quæ tamen manifestissimas in corpore animato producunt mutationes? Quodnam denique cogitari potest

* Mercurius.

† Antimonium.

test medicamentum, cujus familiaris germanusque tam sapor quàm odor non mutari queat, salvis ejusdem cunctis ad morbos viribus.

27. Atque eodem planè modo, mutatis paulùm verbis, redarguuntur alia multa auctorum dogmata et argumenta super remediorum viribus, præsertim illorum, qui vires istas conjectare satagunt, ex iis quæ conspicienda veniunt per eorundem remediorum misturam cum syrupo violarum, sale tartari, spiritibus acidis, &c. quæ quidem jamdudum extiterunt criteria quædam publica, unde medicamentis adjudicatæ sint vires. Hinc quoque refutantur eorum argumenta, qui ex caloris, frigoris, siccitatis, vel humiditatis gradu, vel ex speciali rerum gravitate, vel ex stabilitis vulgò primis rerum elementis, remediorum metiuntur vires. Liquida enim res est, omnes diversarum sectarum principes, in suis argumentis tantùm unam alteramve corporum qualitatem, fortè fortunâ sese exhibentem, attendere,

tendere, dum aliæ latent innumeræ, de quibus inconcessum est, sine aliis adminiculis, quicquam præsagire certi; quænam scilicet qualitas hoc in casu; quænam in illo proditura sit, vel non. De chrysocolla *v. c.* pericula à medicis facta in usus suos neutiquam docent, quemadmodum eadem chrysocolla inserviat aurificibus aut pictoribus; et vice versâ aurificum pictorumque circa chrysocollam experimenta medicis inutilia sunt: neque pol quenquam unquam credo artificem, vel linguam, vel syrupum violarum, vel thermometrum, tanquam oracula, ad artis suæ subsidia conquirenda, consuluisse, præter delirantem medicum, qui rerum adeò infirmarum nixus testimonio, medicamenta audet ingerere humano corpori, in quo agunt regnantque tot diversa solida et fluida.

28. Illi demum rem videntur accuratiùs tetigisse, et experimentorum conditiones attentiùs evolvisse, qui ex remediorum mistione cum sanguine, sive adhuc circumacto, sive extravasato, eorundem vires in diversis morbis definire

institucrunt,

instituerunt, sperantes scilicet hoc se pacto dubios per *autopsiam** convincere. At, nisi me fallit animus, ne hæc quidem experimenta physicis circumspectis sedulisque facient ubique satis: neque enim perinde est sive medicamentum circumeunti adhuc sanguini injicias per venam sectam, sive per *primas vias* ad venas transmittas; quia ab ore usque ad venas subclavias longum est et circumductum iter, in quo assumpta plurimis occurrunt mutationum causis, salivæ scilicet, muco, succo pancreatico, lymphæ, &c. quarum rerum occursu, uti evincunt quotidiana et certissima experimenta, maxima ingestorum pars, dum hâc paulatim serpunt, pristinam ponunt indolem, aliamque sumunt novam; ut nullo jure expectare liceat eundem fore medicamenti sic mutati effectum, atque non mutati. Equidem Mercurialia quæ dicuntur, aliaque nonnulla, variis licet modis corpori admota, et per diversas introducta vias, eosdem tamen semper edunt effectus: at idem de cæteris quoque statuere non proinde tutum

---

* Joannis Friend, *Emmenol.*

tutum est, priusquam eventus comprobet. Certissimè enim constat innumerabiles esse res, quæ plurimùm mutentur per *primarum viarum* machinas, dum ista intacta transeunt. Itaque nequaquam hîc admitti debent generales regulæ, quibus plerumque subest fraus, antequam periculorum inductione constet, quousque pateant et pertineant cujusque medicamenti vires: id quod in aliis quoque scientiæ naturalis partibus viri gravissimi sedulò semper inculcârunt. Etenim experientiâ teste, aqua fortis argentum quidem solvit, non aurum; *regia* autem quæ dicitur, aurum, non argentum; et hydrargyrum et aurum, et argentum et cuprum, &c. peræquè solvit. Unde sequitur, *dissolventium* (sive *menstruorum*) alia pluribus, alia paucioribus esse dissolvendis; deinde non aliter quàm experientiâ duce deprehendi proprios cujusque dissolventis limites.

29. Atqui experimenta rerum sanguini foràs educto permistarum, ad remediorum vires pernoscendas, multò etiam pluribus opportuna

tuna sunt erroribus. Quippe ipsis oculis cernimus, multùm inter se differre sanguinis animalis intra vasa propria gyrantis, et extra eadem vasa educti stagnantisque conditiones. Sanguis enim vasorum contractione agitatus et confusus, est *æquabilis rerum diversarum in unum quasi corpus coitio, quarum unitis viribus concretum mixtumque corpus agit quicquid agit:* at sanguis extra vasa eductus stagnansque, est *rerum congeries ex sanguinis animalis nuperque circumacti separatione prodeuntium, quiescentium, aërique expositarum, quarum singulis propria inest vis.* Exemplo res fiet clarior. Lac quod totius sanguinis tantùm pars est delibata, postquam corpore eductum stagnat et quiescit, statim in suas partes, serum scilicet, caseum et butyrum resolvitur, quæ diversæ partes postea ingestæ corpori effectus quoque exhibent, cùm inter se, tum a toto lacte diversos. Hinc patet experimenta supra dicta neutiquam profutura esse detegendis remediorum viribus in humores sani integrique corporis.

30. Quod

30. Quod si eadem adhibentur ad remediorum vires in morboso corpore explorandas, perspicuum est, ea tanto magis à proposito abhorrere. Hìc enim certè valet senis sagacissimi pronunciatum, nempe, "Homines necessitate coactos principiò adinvenisse artem "medicam, quòd nimirùm ægrotis oblata "nihil contulerit rectè valentium diæta :" unde concludit neminem animum ad medicinam adjuncturum fuisse, si eadem victûs ratio ægris pariter et sanis aptus fuisset. Ecquis Medicorum est qui non experiatur humores corporis in omnibus fermè morbis plurimùm differre ab iisdem in statu sano integroque? Quisve nescit arterias, vasa lymphatica, nervos, variasque glandulas, diversos continere liquores? Quis autem adeò stolidus est, ut existumet liquida hæc, si vitiantur, et violenter coarctantur in vasorum faucibus, eodem medicamento tenuari diluique posse, quo attenuatur sanguis adhuc fluidus per intimam sui et illius confusionem. Quod si hi auctores coagulatam sanguinis partem suis dissolventibus subjecissent, subjectamque dissolvissent, tum sanè eorum

argumenta rationi magis fuissent consentanea: quanquam in quibusdam morbis ne sic quidem deforet dubitandi locus, quamdiu non ostendunt liquidum illud, ex quo coagulato morbus oritur, idem planè esse, et ab eadem causa coagulatum, atque id de quo ipsi experimentum ceperunt. Adde quod dissolventia rebus dissolvendis accommodari debeant, et ad *datam quantitatem*, et ad *tempus datum;* quas illi conditiones, quamvis necessarias, nusquam tamen definiunt. Hinc quoque patet quàm intutum sit, rerum proprietates ex analogia et proportione deducere, quàmque malè huc usque comparata fuerit ista analogia ad remediorum vires inveniendas.

31. Ut verò pleniorem ejus, quæ nunc obtinet, *Materiæ Medicæ* efformemus imaginem, publicas nunc evolvamus *tabulas*, seu classes medicamentorum, et si quid in iis memoriâ dignum est, notemus. Ex tabulis verò satis apparet, Medicos hac in parte nimis fuisse segnes et securos, cùm in tabulas non referant, unde peculiarem medicandi vim et efficaciam elicuerint.

elicuerint. Id autem in primis manifestum est ex titulis summorum capitum classiumve, in quas remedia sua vulgò redigant, quorum alia appellant cephalica, alia hysterica, alia hepatica, &c. sine ulla prorsus morbi historia, quo mehercule nihil aut inscitius aut tenebricosius esse potest. Quis enim nudis hisce instructus characteribus constituet de ullius medicamenti viribus? In istorum titulorum examinatione facilè damus, quod petunt, qui in istis explicandis maximè desudârunt, admittimusque, per *Cephalica* intelligi ea tantùm quæ cerebrum directè spectant, quæque spirituum animalium morbis opitulantur. Esto igitur sanè hoc sensu remedium aliquod cephalicum; at cui tandem qualive capitis morbo deberi judicabit hoc remedium, qui ista legit? Nihilne hærebit, interque tot pendebit cerebri morbos, cujusmodi sunt lethargus, apoplexia, catalepsis, paralysis, epilepsia, nervorum tremor, phrenitis, mania, aliique multi sub eodem titulo comprehensi? Adeat nunc, qui volet, horum morborum descriptores Medicos, teneatque quot sint cujusque generis diversæ species, à

diversis oriundæ caussis: quamque sæpe eadem ferè mala efficiantur à *compressione*; sive ea compressio accepta ferenda sit inflammationi, sive extravasatis liquoribus, sive *plethoræ*, quàm nulla comitetur obstructio: tum sanè facilè intelliget, quàm sit absurdum, casibus adeò variantibus, unum aliquod *catholicum* assignare remedium. Sed multæ sunt præterea affectiones cerebri, à venenis putà et opiatis oriundæ (quorum, ut id obiter notem, operandi ratio nimisquam nobis incomperta est) quibus sanandis ne hilum quidem prosint famosa ista *cephalica*; cùm tamen multùm sæpe prosit tempestivus aquæ calidæ haustus, siquidem iterato rejiciatur vomitu, (id quod abunde docet Wepferus in suo elaborato de Cicuta aquatica opere), etsi aquæ ipsi nihil omnino insit aromatici sive odoris sive saporis, qualibus certè gaudent omnia pervulgata cephalica. Non equidem inficior cephalica jam descripta in casibus simplicioribus reficere interdum solere languentes corporis vires; attamen prudentis non est, de medicamentorum viribus à casibus simplicibus ad implicatiores,

à

à levibus ad graviores, argumentum trahere. Quia per hanc largitatem, contrà quam speratur, mediocres illæ cephalicorum vires propriæ, inter uberiores illas quæ gratis confinguntur, incertæ planèque inutiles redduntur.

32. Sed his modò relatis medicamentorum epithetis alia adjiciunt aliûs generis, quæ quia manifestiores certioresque habent effectus, propterea in *Titulis* rectè collocata, meritòque retinenda dixeris: cujusmodi sunt *Calefacientia*, *Soporifera*, *Dissolventia*, *Incrassantia*, *Purgantia*, *Diuretica*, &c. quum sint morbi, in quibus calefactio opus est, alii in quibus juvant soporifera, dissolventia, purgantia, &c. Quanquam autem hæc paucioribus obnoxia sint exceptionibus, tamen non parum incerti secum trahunt, cùm constet diversissimi esse generis quæ sub eodem comprehendantur titulo, alterumque altero certis morborum casibus convenientius esse. Sæpe enim expedit *Mercurialibus*, vel etiam succo aloës, quàm sennæ foliis alvum ciere. Contrà, sæpe nocent illa, ubi hæc prodest, (quòd idem de cæteris

dici æquum est); ut rectus horum usus ab accurata morbi historia omninò pendeat. De dissolventibus verò et incrassantibus intricatior est disputatio; quoniam illi nusquam, quod quidem scio, ipsius liquoris dissolvendi aut incrassandi meminerunt. At de dissolventibus aut incrassantibus agere, ubi de dissolvendis incrassandisve planè tacetur, perridiculum est: mihique semper visum est problema abstrusissimum, *Dato remedio, invenire morbum;* quod tamen ab omnibus hujus sectæ patronis in promptu esse videtur, in quibus primas tenent Chemici et Botanici, qui de re herbaria, chemicisve processibus agentes, nunquam non plantis, igniumque fœtibus, maximas assignant vires: etiamsi certum sit, neque plantam, neque aliud quodvis medicamenti vicem gerens, si per se et seorsum consideratur, ullas habere vires; quum effecta illa, ob quæ tantopere nobilitentur, non minus corpori ad quod applicantur, quàm suæ ipsorum texturæ naturali debeantur. Itaque fit, ut pro novis diversisque applicationibus, nova semper et diversa conspiciantur effecta. Quisquis ergo medicamento alicui vires attribuit,

buit, non priùs ad amussim exacto casu, frustra est, operamque perdit. Qua de re suprà etiam egimus, ubi de experimentis circa sanguinem.

33. Quare ex tota hactenus disputatione planum esse arbitror, nobiscum eos iniquè et absurdè agere, qui remediorum historiam ab historia morborum seorsum tradunt, præsertim si in recensione suâ proprias excedunt *specificas*que notas quibus discriminatur una res ab alia.

34. Sed ut his tandem aliquando imponatur finis, non dubito Medicos mihi assensuros, fuisse id tùm olim sæpe datum, tum adhuc dari remediorum viribus, quod ipsius nostri corporis facultatibus potiori jure tribuendum erat. Certissimum quippe est, quoad in corpore peragitur sanguinis circuitio, simul produci omnes illos effectus, qui à calore, attritione, frictione, à calido item sanguinis inferventis balneo, à variarum glandularum secretionibus, &c. proveniunt. Id quod maximè intelligitur

intelligitur ex injectis *Ruyschianis*, quæ quidem perspicuè docent, nullam esse corporis partem adeò exiguam, quæ non cingatur densissima vasorum sanguiferorum sylva, ne exceptis quidem ossibus aut tendinibus; eamque ob causam, si quod est vas corporis malè affectum, *v. g.* obstructum, idem undequaque pariter obsessum fore innumeris arteriis, in quibus utique sanguis æstuans ordine advehatur. Certissimis item constat experimentis, quod nihil adeò coagulatos corporis humores dissolvat quàm ipsius corporis calor, liquorumque in vicinis vasis comprehensorum motus et attritus. Quot enim indies observantur tumores, qui solis hisce vitæ animalis actionibus discutiantur? Itaque sæpe mirari incidit tantillum hisce caussis tribui, cùm eas omnes nôrint perpetuò agere, quamdiu suppeditat vita, cùmque earum vim augeri videant in morbis ab obstructione ortis.

35. Sed aliæ item plurimæ, eæque genuinæ, corporis actiones medicamentis temerè adscribuntur, cujusmodi sunt fibrarum firmitudo,

tudo, et laxitas, humorum crassitudo et tenuitas, &c. quæ tamen solo obtinentur liquorum motu ritè inducto, etiam ubi nulla adhibentur officinarum pharmaca. Nimirum nôrunt omnes unde eveniat hominum rusticorum robur ac firmitas, qui solis tamen utuntur cibis culinariis, iisque maximè duris atque asperis. Nôrunt etiam quantum pulmones actuosi, quantùmque faciant omnes arteriæ ad humores incrassandos. Quòd si in hanc rem consulantur triviales Pharmacopœæ, aut medicamentorum qui dicuntur *Thesauri*, vah! quàm mirifica, quàm à sensibus remota ad id depromuntur, *instaurantia*, *demulcentia*, *balsamica*, et, si Diis placet, *elixira;* quæ sumentibus nihil minus spondeant quàm morborum immunitatem, aut etiam æternitatem ipsam.

36. Atqui hæ profectò vanæ sunt hominum imperitorum nugæ, quibus simpliciores volunt falsâ spe ducere, sincerisque naturæ cultorum mentibus tantas offundere tenebras, ut nihil veri, nihil certi teneant.

37. Sed præter jam relatas caussas, alia porrò fuit, cur falsas atque imaginarias virtutes nonnullis medicamentis primò affixerint, atque ad hunc usque diem perpetuaverint: nimirùm quòd iis casu quodam fuerint alia quædam permista, opium putà, cortex Peruvianus, evacuantia, et similia, quorum operationes, ut sunt admodum insignes, ita positæ sunt extra omnem controversiæ aleam. Quot, obsecro, indies videmus mixta atque concreta, ob unius opii ingredientis vim et efficacitatem celebrata? Quo in numero sunt *confectiones*, *balsama*, *pilulæ*, *emplastra*, *julepa*, et similia. Quot etiam videmus rei medicæ auctores, qui, quòd non satis sibi sumant otii ad vires Peruviani corticis seorsum explorandas, alia adjungunt tanquam caussas socias, aut certè adminicula, ad effectum producendum solius corticis proprium? De evacuantibus, de corporis exercitio, et si quæ his similia sunt, nihil aliud habeo dicere, præter id quod jam supra adduximus è Galeno in primum Hippocratis aphorismum.

38. Cùm

38. Cùm autem jam inciderit de *compositionibus* sermo, non possum sicco pede prætерire *præscribendi formulas*, extra quas rarò nunc quicquam in medicina facienda agitur: nam his profectò obtinentibus, nihil unquam certi, si quid video, de simplicibus remediis in lucem proferetur. Istis quippe formulis maxima ex parte deberi arbitror parùm accuratam illam, quæ hactenus pervagata est, *simplicium* medicamentorum historiam. Ut etiam Sydenhamus ipse, quamvis vir in medicina facienda, in studio atque imitatione naturæ, nemini secundus, hac in re tamen lapsus sit gravissimè, nominatim ubi de podagra disserens, et simplicia quædam enumerans, hæc ait: "*Horum species* aliquot affabrè per-
"mistas, humoribus concoquendis rectiùs, ut
"mihi videtur, adhibebis, quàm simplex
"quodlibet ex eorum tribu desumptum.
"Quamlibet enim, quoties specifica medica-
"menti cujuslibet virtute opus est nobis, re-
"gula tenet, *Quo simplicius eo melius*; tamen
"cùm id habemus propositi, ut huic illive
"indicationi satisfaciendo ægrum sanemus,

"singula

"singula *ingredientia* symbolam pro morbo "curando quasi conferunt: atque hoc in "casu, *Quanto major est simplicium numerus*, "*tanto potentius medicamentum operabitur.*" Quibus pol verbis, quò magis fidem omnibus faceret, probaretque, adstruere debebat, *cum dextro numine*. Nam hîc quidem nullæ proponuntur regulæ, nullus componendi delectus, nulla innuitur suspicio novorum effectuum ex tam promiscuo rerum incertarum acervo. Id demum agitur, ut ex infinito ingestorum numero morbus ipse quasi pro se eligat antidotum. O præclaram medendi rationem! nunqam ego quidem Medicos operosas istas formulas venditantes video, quin præstigiatorum technæ et offuciæ mihi in mentem veniant, simulque Hippocratis illud, de Philosophis sui temporis circa quæstiones obscuras laborantibus. "De his a-"gunt *," inquit, "veluti si quis de re-"bus sublimibus, aut sub terra positis dis-"serat, earumque naturam se nosse profitea-

"tur,

* De prisca medicina.

"tur, dum sint, an non sint, neque iis qui "disserunt, neque iis qui audiunt, satis ma- "nifestum est: neque enim datur quò re- "feras cognitionem veri."

39. Quanquam ergo temerè atque inconsultò agunt, qui in præscribendo hanc insistunt viam; sunt tamen alii diversæ sortis homines, qui non minùs temerè, immò arrogantiùs etiam factitant, dum ex *decretis* singularum partium viribus *totum* conflare profitentur *decretarum* virium. Tentatur caput, languet stomachus, impeditur urina, aliaque sexcenta simul ingruunt mala. Illi ut hos uno velut ictu conficiant morbos, *cephalica*, *stomachica*, *diuretica*, &c. accumulant, idque, uti credunt, perapposité. Verùm qui sic agunt, planè ostendunt se et in rebus physicis et in numerorum calculis parùm esse versatos. Fac enim simplicia quinque commiscenda esse: quanta quæso nunc erit obscuritas, quanta requiretur experientia et sagacitas, ad singula sic ordinanda, ut singulis sua maneat potestas in effectu producendo? Atqui quo major adhibetur

rerum

rerum simplicium copia, viginti putà, ut fit, aut centum, eò major erit obscuritas: quod facilè cuivis demonstratum dabit doctrina combinationum. Sed ampliùs etiam apparebit absurditas, quòd quæ nobis *simplicia* nuncupantur, ea ipsa ex diversissimis coagmententur partibus. Quod si ex antedictis constet, medicamentorum simplicium vires, prout ab auctoribus traduntur, admodum esse dubias, omnino sequitur multò incertiores esse rerum mixtarum vires, neque unquam ordine analytico perveniri posse ad *concretum* aliquod *decretarum virium*, verùm omnium pariter concretorum vires planè ignotas esse, eamque ob causam indies augeri medicamentorum ignotorum numerum. Cujus sanè generis remedia natura ipsa subministrat bene multa, nondum satis perspecta atque examinata: quanquam ista quidem examinationi magis patent quàm artis opera; quoniam quæ à natura eduntur plerumque sunt similia atque uniusmodi, dum artis opera plus soluti, vagi, incertique habent, pluribusque exponuntur fortunæ casibus, utpote conflata ex materia dispari et di-

versa,

versa, quæ quidem intrinsecus plurimùm mutari potest, interea dum se foris eandem præbet sensibus.

40. Hinc præcipuè Galenum erroris juxta et arrogantiæ postulamus, qui quidem ad Pisonem scribens, cap. 3tio de *Theriaca*, sic se jactat: "Nam, sicuti nosti, Piso, theriaca, "sicut multis è rebus componitur, ita pluri-"mos habet usus. Quamobrem ego sæpe ad-"mirari soleo hominem, qui istam primus "componere aggressus est, videturque omni-"no mihi non temerè, sed exactâ quâdam ra-"tione, et exquisito supra modum consilio, "tot res commiscuisse. Nonnunquam nos "etiam sic medicamentorum notitiam assequi-"mur." Quanquam autem idem Galenus fatetur, eâ præcipuè fini à primo institutam, atque affectam, et tandem absolutam operosam illam nobilemque theriacæ confectionem, ut ad manum esset præsentissimum quoddam adversus serpentium ictus bestiarumque morsus remedium; proximo tamen capite unam de trivio plantulam, vulgò ignobilem, ob eosdem

planè usus nobilitare pergit. "*Trifolium*," inquit, "quod verno tempore florens est hyacin-"tho simile, semenque gignit par agresti cne-"co, si quis valde decoquat, commorsumque "a phalangio vel etiam vipera locum eo de-"cocto perluat, sanat illicò et dolores amo-"vet." Sed quò magis pareat viri candor et integritas, quantaque sit ei habenda fides de remediorum viribus, alteram ejus sententiam superiori subjunctam neutiquam hìc omittendam censeo. "At si quis," inquit, "non per-"cussus eidem aquæ partem immittit sanam, "is similem commorsis læsionem, totidemque "sentiet dolores." Verùm de his, ut puto, satis superque diximus.

41. Demonstratum jam à nobis esse autumo, quàm deplorandus sit *Materiæ Medicæ* status, quàmque confirmetur, quod horsùm spectans dudum affirmaverat, sed sine argumentis, simpliciter, et solutè, suprà laudatus magnus Verulamius, ubi Medicorum scita acriùs expendit. Nimirum, "illos tantùm è "longinquo solitos naturam contemplari, qua-"sique

"sique ex loco edito *Universum hoc* perlus-
"trarent, ita in genere tantùm et universali-
"ter de rebus objectis pronunciare." Mox
consilium infert planè utilissimum, in hæc
verba: "Sin voluissent propiùs accedere, at-
"que attentiùs singulis objectis incumbere,
"næ illi multo profecissent magis. Debe-
"bant autem certè tanto studiosiùs incumbe-
"re, quanto negligentiùs et supiniùs eadem
"tractavissent illi ipsi Philosophi, in quorum
"verba Medici huc usque jurâssent. Nam
"si verum est, ut certè est, in casibus singu-
"laribus parum juvare decreta generalia,
"multo sanè minus juvabunt eadem ista,
"neutiquam per se vera." Quo quidem pro-
fectò summi viri consilio nihil, si quid video,
salutarius aptiusve cogitari potest.

42. Machina enimverò humani corporis ad
Medicos proprio atque perpetuo jure pertinet,
cujus phænomena neque ab Astronomis, neque
Chymicis, neque Agricolis notantur, ut ab eis
illa Medici possint mutuari. Hujus machinæ
prela, cribra, vectes, trochleæ, refractionis in-

 strumenta,

strumenta, diversissimæque nutritionis caussæ, peculiares mirificasque vires virtutesque exerunt, sibique propria etiam habent vitia; quæ quidem aliter quàm experimentis de ipso corpore humano captis, nequeunt vel explorari vel emendari. Quare sedulò observare oportet quid *sanum*, quid morbosum corpus ferat; ut hujus viribus cuncta nostra consilia, quantum potest, commetiamur. Sed hæc nunc missa facio, ut postea pertractem fusiùs, ne limites mihi in hac oratione positos excedere videar: satis habens in præsentia coram vobis demonstrâsse, quam sit incerta et inutilis *Res Medica*, à morborum historiis sejuncta.

43. Ecquod jam, Patres spectatissimi, validius aptiusque excogitari potuit argumentum, quo pateficeret vestra hujus reipublicæ cura studiumque strenuum, quàm tam inabsoluti Medicinæ statûs demonstratio? Quare cùm cætera literaturæ genera, quibus juventus rudis paulatim informatur instruiturque ad varios reipublicæ usus, sub vestris auspiciis admodum florerent; ne quid deesset usquam ad integrum

integrum bonarum artium orbem, vos, tempori servientes, *beneficium* opportunè oblatum, nullâ morâ destinâstis in pretium præmiumque excolendæ apud vos Medicinæ, quam artem utique noveratis inter *liberales* non minimùm prodesse communi hominum saluti, cujus ope ad sua rectè obeunda munera indigeant et reges, et senatores, et belli duces, et otii literarii professores, et opifices, cuncta denique corporis civilis membra. Hæc inter, novo quodam subitoque impetu mihi salit animus, intimè permotus lætâ hilarique imagine dicam? an præsentia personæ splendidæ, cujus et species et majestas proximè accedat ad Divos: quorum de natura agens Cicero, *Jovis* ipsius nomen sic affabrè retexit. *Jupiter is*, i. e. *juvans-pater, à majoribus nostris dicitur Optumus Maxumus, et quidem ante optimus*, i. e. *beneficentissimus quàm maximus: quia majus est, certè gratius, prodesse omnibus, quàm opes habere maximas.*

Hac ego notione, dum coram vobis hodie miserabilem ac nunquam satis deploratum *Medicinæ* statum expono, ita me penitùs im-

 butum

butum esse fateor, ut nunquam non obversaretur animo *summus ille bonarum artium fautor et patronus*, qui, ut impeditam, asperam, nebulisque obsitam *Medicinæ* viam tentaremus, dedit animum. Quod ut mihi, sic etiam vobis omnibus gratissimum esse sentio, dum vocibus assiduis testamini *proprium illud bonæ mentis gaudium*, quod ultrò se erumpit in *applausum* cujusque facilis adversus *cives inopes indulgentiæ.*

Quid enim, prô Deus immortalis! sanctius, divinius, atque observatione dignius, quàm pura liberalitas et munificentia? ubi verò unquam clariora enituêre harum virtutum documenta, quàm in HEROE nostro; qui de industria indigos anquirit, hominum afflictorum miserias investigat, opemque suam opportunam omnibus accommodat.

Nam quot ille alit valetudinaria? Quot eruditorum collegia novis auxit stipendiis? Quot infortunatos sublevavit? Quot obæratos inopinantes à situ et squalore carcerum vindicavit? Quid quæris? ubique extant beneficentiæ ejus, et humanitatis, planè singularis testimonia, qui,

qui, ut cives foveat, erigat, recreet, nullis parcit sumptibus, nullis laboribus: nunc domi, nunc foris, vel totius populi rebus communibus, vel sodalitiorum coloniarumque privatis ita studens consulensque commodis; ut infinitâ prope negotiorum mole quamvis districtum, nunquam tamen fessum, aut festinantem invenias.

Hæc inter, omnium oculos animosque rapit insignita raraque Herois dignitas, tantâ renidens tamque insolitâ facilitate.

Huic quàm ex omni parte benignus fuerit ille *Omnium* Pater atque Custos, omnes nôrunt, omnes gratulantur. Ipsi vos, præsentes oculis adspexistis, ex hujus illustri generosâque stirpe, nobiles in ipso flore adolescentes, qui quidem à primis tenerisque annis, hortatu gravi patris experientissimi, inter homines, moribus atque ingenio dissimiles, errare consueverunt: quò magis exploratum haberent cognitumque varium ac *multiforme* hominum genus; putatisque omnibus *humanæ* sortis numeris, suam ipsi vitam, publicè ac privatim, postea feliciùs ad optima componerent exempla.

Sed durior est profectò hæc, in quam inscius egomet sum delapsus, provincia, præ illa, cui vos me palam addixistis.

Itaque mihi conscius, relinquendam censeo *Xenophonti* alicui, *Plinio*ve alteri, qui et verbis splendidis, et sententiis gravibus, seræ hominum *posteritati*, in *usum* et *exemplum* mandet consecretque facinora Mæcenatis nostri *omni memoriâ digna*.

DE

NATURALI VETERUM MEDENDI VIA,

ANTE REPERTUM AB HARVEO SANGUINIS ANIMALIS GYRUM,

DISSERTATIO.



Notatio naturæ, et animadversio, peperit artem. CIC. *Orat.*

Omne auxilium, corporis aut demit aliquam materiam, aut adjicit, aut evocat, aut reprimit, aut refrigerat, aut calefacit, simulque aut durat aut mollit. CELS. *lib.* 2. *cap.* 10.



HAUD leviter confirmatum esse reor, quòd ante me alii jamdudum animadverterunt, nimirùm, ambitiosos sapientiæ magistros, dum, gliscente contentione, longiùs, uti fit, à quæstione proposita abierunt, ingenii lascivientis impetum effusiùs sequuti, non modò vastis semet inutilibusque implicuisse speculationibus;

culationibus; verùm etiam incautos nimiùmque credulos auditores, mirabili suorum argumentorum specie et subtilitate captos, ita sibi suisque verbis serviliter devinxisse, ut deinceps securi non ultrà quærerent, neve addubitarent, sed, tanquam si ad intima naturæ *adyta* jam penetrâssent, sic in alto otio degerent; indeque vatum ritu, magistri quisque sui tanquam alicujus numinis, placita mordicùs arrepta, inhianti plebi, pro genuinis oraculis confidenter distraherent.

§ 1. Huc, me judice, magna ex parte referri debet tanta tamque miserabilis ingeniorum, per multa retrò secula, in præclaris desideratisque naturæ studiis, infœcunditas. Atque hoc, quod ad *Materiam* attinet *Medicam*, usu ipso comprobatum, nisi me fallo, dedi suprà; simulque demonstravi, quàm frivola et inepta huc undique à multis insulta sint, maximè per inertem alienamque tractandi viam.

2. Quare

2. Quare ex inani atque infœlici horum opera, vereor ut multi de universo medicinæ statu parum æquè existimaturi sint: præsertim, quum multi soleant omnem curationis vim ac momentum conferre in ea quæ adhibentur remedia; quæ tamen, ut morborum historiæ nimiùm negligentes, non illi quidem, ut æquum erat, consilio et rationi, sed fortunæ fatuæ, experimentove alicui improviso, accepta plerumque ferunt.

3. Huic igitur decumano atque infausto illorum errori ut obviam eatur, ostensum nunc dabo, *in morborum curatione insignes quidem haberi posse progressus, si ab recta remediorum notitia* ordiamur: ast hanc non nisi *ex præceptâ probèque intellectâ morbi historiâ proficisci: ex plena porrò morbi historia suâ sponte sequi certa curationis indicia, quorum ope ducamur ad remedia morbo profligando apta.* Quod eò fidentius propono, quòd video clarissimum artis nostræ conditorem Hippocratem identidem dicere, "Ad sanandum satis instruc-" tum esse Medicum qui morbum satis nôrit:" Itemque

Itemque Sydenhamum, qui quidem omnium maximè coluit simplicem probabilemque medendi viam, in hæc verba, "Atque adeo "non semel mihi in mentem subiit, quòd si "morbi cujuslibet historiam diligenter per"spectam haberem, par malo remedium nun"quam non scirem adferre *." Sed omissâ nunc magnorum virorum auctoritate et suffragatione, hanc medendi viam ita exponere conabor, ut pro se quisque possit hac in parte dijudicare.

4. Id ut exsequar, ante omnia considerare juvat, qui qualisque fuerit priscorum hominum ante inventam medicinam status atque conditio: deinde qualem curandi viam viro sagaci sequendam, eadem illa conditio naturaliter suggeret. Sic enim naturam sequemur, optimam illam atque certissimam ducem.

Principiò fac fuisse, quando ignorata sint morborum historiæ, juxta et remedia. Hoc in

* Præf. Observ. morb. acut.

in statu (nisi fortè divinitus contigisset patefactio, qualem nunc non ponimus) neutra sanè aliter investgare erat, quàm quomodo cætera omnia solent naturæ phænomena, id est, ex continenti rerum sponte emergentium serie, cujusmodi ad instruendam ornandamque medicinam plurimæ se offerunt. Quum enim ante oculos assiduè obversarentur homines hoc illove morbo laborantes; quumque à morbis variis variè multarentur ægri, varièque pervertérentur usitatæ conspicuæque corporis actiones: utique de facili poterant morbi et aptè notari, et inter se luculenter distingui, observato diligenter constanterque naturali cujusque morbi cursu et tenore. Quod quidem fecisse videtur prisca schola Cnidia, quemadmodum fidem facit Hippocrates, *lib. de victûs ratione in morb. acut.*; ubi, "Qui Cnidias, quas vocant, sententias literis tradiderunt, ii sane, inquit, quæ in singulis morbis patiantur ægri, et quomodo eorum nonnulla ipsis eveniant, rectè conscripserunt: quousque quivis etiam medicinæ imperitus, rectè scribere potuit, si modo ex "unoquoque

"unoquoque ægro quæcunque patiatur probè "didicerit."

5. Hanc ego medicinæ colendæ rationem unicam patuisse puto primis nostræ artis magistris: quam si constanter sequuti essent, nunquam profectò erravissent; quum isthuc nihil aliud planè sit quàm imitari, atque ab exemplari proposito descriptum exprimere et exarare. Neque mihi ægrè concessum iri spero, ante exploratos simplici hâc, et naturæ convenienti ratione, morborum limites, atque aspectus varios, nullum patuisse aditum ad generales morborum censuras: cujus generis fermè sunt, quæ in Coacis prænotionibus, et Hippocratis aphorismis, continentur. Necesse quippe est, ut incertæ dubiæque sint censuræ, quæ non ex plena casuum enumeratione inducuntur: quin etiam fallax sit ac lubrica antiquorum illa curta brevisque scribendi ratio, quamdiu aberat plena singulorum casuum inductio: denique ut cum grano, quod aiunt, salis, omnia istiusmodi scripta Hippocratis sint sumenda: quæ proinde, tanquam per se manca,

manca, supplevit, atque aptâ explicatione exornavit castigavitque primùm Celsus, deinde hujus elegantis diligentiæ æmulus, Lommius.

6. Porrò rerum naturam evolventibus planum erit, primævos Medicinæ prudentes ad *theoriam* artis suæ suis absolvendam numeris non satis fuisse instructos. Siquidem constat non posse earum rerum quæ corpori humano incidunt rationem numerumque iniri, nisi eæ priùs per observationem assiduam erutæ, seorsum suo quæque loco notentur. Atqui ad hanc Medicinæ partem olim desiderabatur præcipua illa corporis humani notitia, quæ sub auspiciis maximè clarissimi Harvei non ita pridem in lucem prodiît; quippe, quâ solâ, tanquam face prælucente, consectari licet occultas et multiformes corporis animati actiones.

7. Neque magis erant antiqui ad systemata atque compendia suæ artis fabricanda imparati, quàm ad remedia invenienda, inventaque morbis accommodanda; siquidem non minùs ad

ad hoc quàm ad illud præsumenda sit enucleata ac probè distincta morborum historia. Nam omne remedium (ut suprà est ostensum) ad unum omninò morbum, vel morbi potiùs casum, referri debet. Ita si vel minimùm dubitatur de morbi ipsius specie, semper incertum erit, quo nomine, quâve fini, à curantibus aliquando data sint remedia; quæ, utut tum erant, utut juvisse quondam dicuntur, prorsus tamen nihil conferunt in posterorum usus. Adeò nullus esse potest remedio locus ante definitum circumscriptumque morbum; quando quæcunque quovis modo remorantur morborum investigationem, eâdem operâ simul remorantur remediorum inventionem. Sed alia quoque tum erant neque pauca impedimenta inventioni remediorum injecta, cùm à medicamentorum difficili ex infinita prope rerum varietate delectu, tùm ab eorundem lubrica admodum atque incerta ad singulares casus accommodatione.

8. Itaque ex rei ipsius natura constat debuisse priscos, quia parùm erant ad medica-

mentorum

mentorum vires perspiciendas instructi, omnem idcircò suam locare operam in morborum historiis diligenter notandis et colligendis; quò magis scilicet juvarentur posteri ad remedia excogitanda singulisque morbis adaptanda; postremò ad systemata ex majorum laboribus accuratè digestis aliquando componenda.

9. Animadverso jam periniquo veterum ad excolendas varias Medicinæ partes loco, nimisque alieno statu, propiùs nunc attingemus quod suprà est à nobis propositum, monstrabimusque, quemadmodum nos ducat dirigatque morborum historia in rectum medicamentorum usum, nec non ad ipsius victûs rationem moderandam, quam et Hippocrates et Celsus rerum ingestarum primam esse putant regulis legibusque medicinalibus subjectam: eò scilicet ex ipsa rei natura inducti; quum ne ægri quidem, adhuc rudes et ignari, abstinerent se cibis, quos quidem non minùs ad rectæ valetudinis, quàm ad vitæ præsidium comparatos

tos esse existimabant. Quumque appetitus (qui in ægrotantibus plurimùm sibi juris vendicat) nunc crassiores, nunc tenuiores flagitaret cibos, prout vel sitis id monebat, vel fames; nunc contrà vi morbi fractus et prostratus omnem fastidiret cibi usum. Hinc tandem ortas esse inevitabiles, circa ciborum tum *modum*, tum *materiam*, observationes. In hanc sententiam Hippocrates, de *prisca medicina* agens, hæc habet: "At meâ quidem opinione, nemo ad medicinam animum applicaturus fuisset, si eadem victûs ratio ægris juxta et sanis esset accommoda.——Itaque qui medicinam perscrutando invenêre, primùm quidem, uti censeo, de ciborum copia detraxerunt, quantum nonnullis ægrotantibus esset satis: quum tamen idem non omnibus æquè prodesse videretur, quod alii ita affecti habitique reperirentur, ut ne paucos quidem cibos conficere possent: inde imbecillioribus sorbitiones præscripserunt. —Quod si ne quidem sorbitionibus essent pares, iis quoque detractis, potiones substituerunt."

" fuerunt." Cui omninò concinit Celsus, in hæc verba: " Ægrorum, qui sine Medicis " erant, alios, propter aviditatem, primis die- " bus protenus cibum assumpsisse, alios, prop- " ter fastidium abstinuisse; levatumque ma- " gis eorum morbum fuisse qui abstinuerant. " Itemque alios in ipsa febri aliquid edisse, " alios paulò ante eam, alios post remissionem " ejus: optimè deinde his cessisse, qui post " finem febris id fecerant. Eâdem ratione " alios inter principia protenus usos esse cibo " pleniore, alios exiguo; gravioresque eos " factos, qui se implêrant. Hæc similiaque " cùm quotidie inciderent, diligentes homines " notâsse, quæ plerumque melius responde- " rent; deinde ægrotantibus ea præcipere " cœpisse."

10. Ex his utriusque cùm Græci tùm Latini Patris auctoritatibus apparet, antiquorum de ratione victûs observata et decreta præcipuè respexisse diversa morbi incumbentis tem-

 pora.

pora. Id quod ex sequentibus Aphorismis diæteticis planius adhuc erit.

" Quum morbi vigor maximus, tum victu " utendum tenuissimo." Sect. 1. Aph. 8.

" Quibus statim vigor adest, hos quidem " oportet cibare tenuiter." Aph. 10.

" In accessionis impetu cibum subtrahere " oportet: nam præbere noxium." Aph. 11.

At cæterorum omnium huc spectantium quasi summam complectitur Aph. 17.

" Quos etiam semel iterumque, quos plus " minusve, et particulatim alere conveniat, " spectandum. Dandum verò aliquid anni " tempori, regioni, ætati, et consuetudini."

Ex quibus cùm id modò discimus, quinam ægri plus minusve cibi, cum majore minoreve periculo, seu febris incremento, (quæ certè pro ratione alimenti semper increscit), ferre valeant: perspicuum est, universos istos Aphorismos consistere innitique rebus naturaliter prorumpentibus ex antegressa morbi historia; quæ sanè cætera antecedit omnia, facem quasi preferens: quum ex ea sola cognoscatur mor-

bi

bi vigor atque accessionis impetus (quo sævi-ente cibi difficillimè tolerantur) unde Medicus ad moderandam victûs rationem quasi manu ducatur.

11. Eadem planè methodo pergit purgantia quoque medicamenta ad febrium tempora accommodare, in sequentibus Aphorismis:

Sect. 1. Aph. 24. "In acutis morbis rarò, "et inter principia, purgantibus utendum est: "idque diligenti priùs adhibitâ circumspec-"tione faciendum."

Ibid. Aph. 22. "Matura et concocta me-"dicamento purgante educere ac movere opor-"tet, non cruda, neque inter initia, nisi su-"opte cieantur impetu, quod perrarò fit."

12. Ex hisce jam exemplis videre licet, quo certiùs distinctiùsque innotuêre variæ morbi alicujus periodi, hoc clariùs atque evidentiùs innotuisse rerum assumptarum, ad morbum, sive in melius, sive secus commutandum, vires.

 13. Ex

13. Ex iisdem porrò colligitur, ignotâ morbi historiâ, rerum (utut crebrò ingestarum) vires pariter ignotas esse debere; quum in diversis morbi temporibus, (quibus subjiciuntur omnes ferè morbi), diversi quoque sint, ut suprà est ostensum, earum rerum effectus.

14. Sed ex antegressa morborum notitia, prudentibus remediorum indagatoribus aliud præterea insigne præbetur adjumentum, nimirùm quando subita fit morbi remissio ex insigni aliquo spontaneoque naturæ eventu, cujus rei exempla dant sequentes Aphorismi. Sect. 6. 13.

Singultu laboranti sternutamenta, si superveniunt, singultum tollunt. Ibid. 14.

Hydropico, si aqua è venis in alvum confluxit, morbus solvitur. Sect. 7. 29.

Leucophlegmatiâ afflicto, si vehemens supervenit alvi fluxio, morbum solvit. Sect 6. 15.

Diuturno alvi profluvio laboranti, sponte superveniens vomitus profluvium solvit.

Hujus

Hujus generis multa in naturali morborum cursu necessariò eveniunt attentis spectatoribus, unde certiores fiant de variis aptisque remediis: cujusmodi sunt, quæ in singultu sternutamenta, in hydrope alvum, in diarrhœa vomitum provocant; de quibus planè et apertè admonent adducti modò Aphorismi: à quorum etiam auctoritate multum pendere video severiorum nostri temporis Medicorum usum et consuetudinem: ut Sydenhami in hydrope et diarrhœa, atque Joannis Friend in febribus curandis.

15. Quid enim certius aut naturæ convenientius esse potest, quàm hæc antiqua curandi ratio? quâ scilicet optimè intelligatur, quid natura ferat, quidve illi prosit. Scire interim oportet eos, qui Hippocratem hactenus sequuntur, licet experientiæ atque observationibus suam medendi rationem accommodent, ab hodiernis tamen Empiricis longissimè recedere, qui quidem medicinam excolere et factitare jubent per medicamenta adhuc ignota, et citra consilium ingesta, hâc so-

lâ fini ut in *specifica* quæ vocant, i. e. propria antidota, si casus tulerit, incidant: cujusmodi nulla certè admittit recipitque methodus è veteribus modò deducta. Quamdiu enim naturæ instituto nosmet studiosè dedimus, nulla omninò fingi potest caussa, quamobrem quicquam attentemus, aut periclitemur, præter quod ipsa suggerit natura: ideoque in hoc uno consistere omnem medendi rationem, ut indiciis signisque obtemperetur fiatque satis. Atque hæc in universum de antegressa medicamentorum indicatione dicta sunto.

16. Ad remediorum verò inventionem, ut Medicorum, qui naturam imitantur, votis respondeant, palam esse puto, ejusmodi Medicis non opus esse alia medicamenta, quàm quæ vi quâdam conspicuâ polleant in corporis ipsius actionibus, sive expediendis sive impediendis: cujusmodi sunt quæ alvum, vomitum aut urinam movent; calefacientia item, soporifera, &c. Quippe quæ sola indicationibus ab effectuum notabilium observatione desumptis

tis

tis satisfaciant: qualia ut reperiantur, requiritur duntaxat, ut semel assumantur: cui quidem casui locum abundè præbet hominum partim necessitas, partim appetentia procax: nonnunquam etiam præceps, aut curiosa voluntas, cujus certè importunitati debetur, quòd immensa rerum insolentium varietas identidem assumatur; quarum tamen omnium eæ solæ forent observabiles, quæ manifestam mutationem corpori inducant.

17. Quamvis autem sic satis magna suppeteret caussarum in corpus humanum validè agentium; idque etiam, si casus tulerit, longè ante descriptas morborum historias: non tamen æquè magna existeret *remediorum* copia: quum nihil propriè remedium appellari debeat, nisi quod ex curantis consilio et solertiâ adaptatur morbo; eodem planè modo atque Hippocrates morbis accommodavit rationem victûs et purgantium usum.

18. Ne autem ista longiùs persequar, ac nimio opere contendam ea in usum Medicorum

rum nunquam esse cessura, nisi indiciis ex tenore morbi provenientibus respondeant, demonstratum semel dabo, *Non posse curari morbos medicamentis auxiliisve ullis, quæ indicationibus non subserviant, faciantque satis; saltem id temerè tentari.*

19. Sed ante omnia meminisse convenit, medicamenti citra indicium præbiti vires in corpus humanum ignotas planè atque incompertas esse; (nam si compertæ essent, palam est tali præbito medicamento, spem fore, talibus viribus mutatum iri morbi faciem; at hoc est indiciis servire et satisfacere, contra hypothesin). Quod si ignotum est planè quod præbetur medicamentum, non erit sanè, cur in hoc potiùs quàm illo præbeatur *morbo*, aut in hoc potiùs quàm illo morbi *stadio*: (quum in illo penitùs ignoto nihil reperiatur, quod huic quàm illi potiùs malo opponatur; quodve in morbi principio potiùs quàm in *statu*, in statu quàm in declinatione, usui esse queat).

Putemus nunc innumerabiles morborum species,

species, tum cujusque morbi tempora diversa, quibus ex æquo adhiberi possit medicamentum planè ignotum: dabitque sanè calculus casuum, sive periculorum temerè priùs subeundorum, quàm elucescant, ignoti medicamenti vires, numerum numero infinito parem. Unde profectò satis constat tentaminis hujusmodi temeritas. Eoque magis, si adjicias, in casu proposito subesse nihil, quò hujus potiùs quàm illius, herbæ puta, animalis, fossilisve, aut horum omnium unius potiùs quàm alterius partis, fiat optio, aut delectus; aut denique quo definiri queat certa cujusque *dosis*, sine vitæ humanæ periculo supra omnem excusationem audaci. At quot, obsecro, passim scatent herbæ, quot ubique comparent animalia, quanta est fossilium varietas; atque in his omnibus partium diversitas, quotuplex denique doseos ratio? quæ tamen omnia inquisitori cæco se ingerunt nullo discrimine, nullo delectu.

20. Hinc evincitur solutis vagisque periclitationibus, principiò non comperta atque explorata fuisse remedia; verùm ex certis rerum

ipsarum

ipsarum viribus identidem erumpentibus innotuisse, dum Medici, omnibus sedulò circumspectis, id unum agerent, ut oblatas istas rerum vires morbis solerter accommodarent, atque in *remediorum censu* numeroque deinceps, uti æquum est, deputarent. Quam viam æquam, rationique convenientem, institisse veteres, Celsus in primis auctor est, cujus hæc sunt in præfatione verba: "Non enim quidlibet antiquiores viros ægris inculcâsse; sed "cogitâsse, quid maximè conveniret; et id "usu explorâsse, ad quod antè conjecturâ ali- "quâ ducti essent. Neque interesse, an ini- "tio pleraque explorata sint, si à consilio "tamen cœperunt. Et id quidem in multis "ita se habere. Sæpe verò etiam nova inci- "dere genera morborum, in quibus nihil ad- "huc usus ostenderit; ut ideo necessarium "sit animadvertere, unde ea cœperint; ceu "sine quo nemo mortalium reperire possit, "cur hoc, quàm illo, potiùs utatur."

21. His ita expositis demonstratisque, cuivis per me licet arbitratu suo accipere primum

sextumque

sextumque Pitcarnii nostri corollarium, dissertationi suæ de *divisione morborum* subjectum; eaque, si vacat, cum diserto ipsius dissertationis scopo gloriosaque ejusdem coronide, componere. Liberum quoque omnibus arbitrium permitto de clariss. Boylæi, (ut alios nunc taceam inferioris subsellii Chymicos atque Empiricos importunos), in vagis atque inanibus experimentis accumulandis malè locata opera: cujus sanè non alius fuit fructus et eventus, quàm ut, per magnificam istorum jactantiam, Medici parùm cauti ægros sibi commissos, aut vanis cruciarent, aut saltem fallerent remediis.

22. Neque hoc fugit perspicacissimum Sydenhamum. Itaque de remediis specificis, quæ vi quâdam occultâ agere dicuntur, sic habet. "Si quis hîc objecerit, satis magnum "remediorum specificorum numerum jamdu-"dum nobis innotuisse, hunc ipsum, si exa-"men paulò diligentiùs instituerit, in oppo-"sitas partes facilè transiturum confido, cùm "unicus cortex Peruvianus militet." Huic

ego

ego viro accedo lubens, prorsusque ita existimo, in re colenda medica tot priùs lapsura secula, quot ab Æsculapio huc usque effluxêre, quàm in conspectum sese dabit aliud huic per omnia simile remedium. Quo circa mihi callidè fecisse videtur noster ad quintum suprà dictæ tractationis corollarium, quod corticem Peruvianum nominatim laudet, proponatque in exemplum experimentorum, seu veriùs periculorum, quasi ritu aleatorio deinceps faciendorum, ad medicinam, si placet, ampliùs proferendam, etiam ubi nulla prælucet rationis admonitio aut consilium.

23. Viam jam ad veram germanamque medendi artem munîsse me arbitror: siquidem doceant et exempla Hippocratis, quòd candidis sedulisque medicinæ prudentibus omnem curationis modum et mensuram unicè ponat accurata morborum historia; demonstrentque quæ à nobis suprà proposita sunt, non posse diu latere illa quibus Hippocrates usus est remedia: uti nec alia quæcunque suam in cor-

pore

pore humano vim et efficacitatem evidenter ostendunt.

24. Quum igitur tali tamque stabili fundamento innitatur morborum historia, indeque remediorum omnium necessariorum investigatio, non video profectò quorsum tam multa multi de obscuritate ac penuria nostræ artis conquerantur: siquidem operæ nostræ præcipuam ac palmariam partem faciat talis morbi notitia atque historia, qualem sibi Astronomi, *v. g.* planetarum quærunt; quorum illi gravitatem communem ex certis legibus generalibus facilè cognoscunt: at qualem singuli motu suo figuram describant, singulorum item periodum, et occursum mutuum, et phases proprias, non sine operosa singularm rerum apparentium atque incidentium collectione, et constitutione rectâ, et diligenti insuper instituto calculo, tandem aliquando consequuntur. Quanquam verò ab rebus observatis pendent artis Astronomicæ fundamenta; nemo tamen idcirco Astronomiam ad incertas relegat, sed certis annumerat scientiis: quando quæ ad eam

eam spectant omnia observanda, homini prudenti et industrio certissimè objiciantur. Tantumque abest ut Astronomi ulteriorem artis suæ culturam à fortuna petendam esse existiment, ut etiam cometarum cursus, quamlibet anomalos, repetitâ paulò observatione, se ad certas tandem atque constantes leges revocaturos esse non dubitent.

25. Utinam nostri homines, pari spe freti, non priùs morbos curare aggrederentur, quàm eorum faciem atque indolem satis exploratam haberent; contra quam factitant illi, qui relictâ morbi historiâ, protinus se totos dedunt *specificis*, *i. e.* propriis et perpetuis quibusdam antidotis, captandis; ut per infinitam scilicet ingestorum seriem dato morbo tandem inveniant remedium, si credis, *infallibile* *. Cui sanè non solùm inutili, sed periculosæ istorum operæ, quantùm faveant prælibata Pitcarnii

---

* Præsentissimum.

Pitcarnii nostri consectaria 6. et 7. judicent alii.

26. Quanto prudentius astronomorum patientiam diligentiamque imitatus sit Sydenhamus, ex 1mæ sect. cap. 2do. 5tæque ult. cuivis attendenti in proclivi erit. Quod si quis adhuc nihilominùs suspicetur eum fumos vendere, remque vanam promittere, operæ pretium erit totam ejus perpetuamque medendi rationem seriò evolvere. Hoc si fecerit, oculis ipse suis, si quid curiosius æstimat, elegansque est formarum spectator, agnoscet opus spectabile, omniumque, quæ quidem ad hunc diem in arte salutari prodiêrunt, absolutissimum: exemplum quoque fatebitur imitatu non difficile: dispositionem item operis et structuram pulchram atque ubique sui similem: denique opus nusquam cedens optimis in disciplina physica laboribus: ut non facilè dixeris, majorem se præbuerit virum in naturali morborum secundum varias cœli annique vicissitudines progressu consectando, ordineque delineando, an in simplici facilique ratione, quâ

 oppugnare

oppugnare cœpit symptomata maximè funesta et feralia, interea loci cum cætera medicantium turba ferè solis alexipharmicis atque antidotis venandis incumberet. Itaque tempestivà sanguinis missione, vomitu, purgatione, opio, stragularum vestium calore temperato, equitatione, gestatione, chalybe, aliorumque, et numero paucorum et ingenio simplicium (quorum in aprico essent vires) medicaminum ope contentus, morborum monstra domuit. Nec mirum, quum idem venenorum valentissimorum virus aggredi non dubitârit meris aquæ tepidæ cyathis, satius esse ducens morbi incumbentis obsequi indiciis, quàm periclitantem ægrum tantisper deserere, dum ipse antidota quæreret. Ad hoc, superato, quo à primis annis fuerat imbutus, gravissimo præjudicio Hippocratis olim affirmantis *, *fluente alvo non esse mittendum sanguinem*, ille contrà sequens propria inflammationum indicia, tandem non dubitavit vel solâ missione sanguinis fluenti occurrere alvo, quotiens ea inflammationem haberet comitem. Similiter etsi veteres

---

* De victûs ratione in morb. acut. extremo lib.

res decrevissent pleuritidem solo sputo atque exscreatione persanandam esse, magnoque præceptionum numero universum Medicorum cœtum, usque ad Sydenhami tempora, in suam facilè sententiam traduxissent; ille tamen sagax, ac melioribus ductus auspiciis, anticipatam istam notionem adeò profligavit, ut merâ simplicique sanguinis detractione, quam morbus per se faciendam indicat, desideratum opus perficeret, ingenuosque Medicorum filios deinceps dubiâ simul et intricatâ curatione, quæ à multis ante seculis nitebatur confectionibus ferè pectoralibus, commodum expediret.

26. Liquet ergo magnum Sydenhamum ex attentâ assiduâque indiciorum consideratione tantum obtinuisse in morbos imperium: indeque factum, ut totius Medicinæ nova quædam meliorque existeret facies: illamque hoc maximè nomine cæteris Medicantibus palmam præripuisse, ex utrorumque scriptis inter se collatis ampliùs patebit.

 27. Quemadmodum

27. Quemadmodum verò hujus viri aperta, inaffectata, eademque felix medendi ratio nostræ dissertationis argumentum firmat, sic eidem robur addet de vulgaribus aliorum scriptis interpositum judicium. Ubique enim deprehendimus incertum ancipitemque remediorum eventum, ubi incerta est et anceps indicatio: neque unquam definiri posse quidnam perfecerit Medicus, qui remedia tantum promit à se adhibita, nullam verò sui in adhibendo consilii rationem. Neque Hercule quo examinentur vasta scriptorum volumina, melius hoc invenio usquam criterion: cùm sine eo quid animi habeant Medici perpetuò ignoretur. Quamdiu enim propriis tantùm specificisque litatur, ab ipsa auctorum fide et peritia totum pendet judicium: at quàm sublesta sit, quamque maligna hominum multorum fides, quàm fallax sæpe opinata peritia, quotidiana docet experientia. Contra, indicationes lectæ ac severæ propriam et perpetuam quandam lucem secum ferunt; medendi quoque viam faciunt constantem atque uniformem; nobisque res inter se contendendi, deinde argumentandi,

gumentandi, copiam et facultatem præbent tutam.

28. Ex his quoque intelligitur quid medicinæ contulisse censendus sit Mortonus; qui nihil adjutus vel crebrâ ægrorum consuetudine, vel luculento auctus Sydenhami exemplo, exolescentem tum maluit revocare disciplinam miscellaneam, atque immensâ quâdam medicaminum farragine cinnoque temerario rursus pro libidine sua abuti. Qua re factum est profectò, ut omnia morbi symptomata graviora maligniorаque existerunt, quàm fuissent aliàs, si modò Sydenhamo fuisset dicto audiens.

29. Quod si uno conspectu multorum simul rationes medendi complecti velis, Burneti, similisve compilatoris, thesauros inspice: tecumque reputa, an sit cur uni quàm alteri potiùs fidem habeas; aut omnium, ut quorundam mos est, consilia velis indifferenter experiri? Hoc si feceris, de corio hominis ludes perfamiliariter: eâdemque operâ ostendes,

des, quàm incompertæ sint tantopere jactatæ *specificorum* vires, quæquidem mihi videntur tela vesanis structoribus Babylonicis quàm cordatis Medicis digniora. Quamvis enim in quibusdam morbis obscurioribus de *specificorum* successu possit dubitari; quum tamen pari fiduciâ soleant in podagra, atque in malo maximè tractabili, præscribi; satis utique patet, quàm parum veritati et candori litent, qui ista venditant.

30. Nihil autem æquè nos ab istorum hominum contagio vindicabit, ac ipsa morborum remediis adhuc intactorum exacta delineatio: quippe quâ solâ intelligetur, quæ sint cujusque Medici partes in morbo demutando; quandò item licebit anceps experimentum capere; denique quandò viro bono prorsus cessare feriarique conveniet. Hac prognosi Medicis adeo necessariâ instructos fuisse priscos homines vel ex eo est probabile, quod naturæ ordine remediorum usum antecedat morbi historia.

31. Quare

31. Quare jam vobis, Auditores, monstrâsse videor, quænam res naturales Medicorum curam atque attentionem primò meruerint, aut potiùs ob manifestiores in corpus humanum effectus quodammodo extorserint; quibus item rationibus inducti Medici res istas morbis accommodârint, ob eamque causam deinceps *Medicamentorum* cognomine insigniverint. Ut satis appareat quanto intervallo distent hæc ab experimentis chemicis, quæ plerumque suam fortunæ debent originem; quæque ut existant, corporis quàm animi laborem magis desiderant. Equidem ego in medicamentis inveniendis nonnihil etiam fortunæ bonæ concessi; at adeo id exiguum, ut ea re neutiquam necesse sit interea vel tantillum pendere hærereque Medicinam; quæ quidem, ut artes cæteræ, tota versatur in rebus inter sese componendis ritèque æstimandis; quamvis repugnent, atque in alia omnia abeant, qui ab hominis barba et canitie magis quàm à dextero ac bene præparato ingenio medendi scientiam sperant, contemptâ et neglectâ nimium humani corporis fabricâ, cæ-

 terâque

terâque artium bonarum supellectile: quarum ex inopia, uti tardus segnisque diu fuit saniferæ hujus artis progressus; sic ex earundem studiosâ nuper cultione, hujus quoque fuit successus major, indiesque meritò speratur certius constantiusque incrementum. Quanquam dissimulandum non est, etiam ex hoc fonte, per importunam quorundam magistrorum festinationem, multos gravesque errores profluxisse: neque id mirum, cùm in causarum ambitu nullæ reperiantur abstrusiores investigatuque difficiliores, quàm quæ ad corporis humani actiones spectant. Atque ab istis in theoria erratis eo magis est cavendum omnibus qui Medicinæ faciendæ dant operam, quo pravam theoriam * semper et ubique sequuta sit perversa praxis †. Hinc enim "Erasistratus, qui cibos in ventre atteri contendebat, in cibis deligendis, eos quærendos esse censuit, qui facillime teri possint. Contrà Plistonicus, qui cibos putrescere aiebat, eos in quibus hoc expeditissimum esset.

"Denique

* Doctrinam. † Usus.

"Denique Hippocrates, qui calore cibos concoqui putabat, eos præferebat, qui calorem maxime foverent*." Ad eundem modum non ita pridem inter se commissa vidimus *acidum* et *alcali*. Nunc quoque quæ vocantur *Dissolventia* et *Aperientia*, aliaque quædam mysteriis (quid rides?) fœta vocabula, respondent quorundam Medicorum votis atque usibus, indeque omnem anquirendæ morborum historiæ curam studiumque antevertunt.

32. Qualia autem ipsi nobis *verba* demus, dum istas sectamur umbras, docet nunc indies increscens proficiensque naturæ ipsius studium. Hinc enim clarissimus Boylæus, comperto nullum esse usquam in toto humano corpore *acidum*, eâdem operâ, uno quasi ictu, istam saltem *Materiæ Medicæ* partem, in qua exponuntur virtutes *alcalinæ*, funditùs subvertit. De *dissolventibus* autem, cæterisque horum similibus hodiernorum hominum idolis et

* Cels. Præf. ad lib. 1.

et figmentis, quid censendum sit, ex superiori disputatione nostra colligi potest.

33. At omnis omnium hominum opinationes et præjudicia persequi, inque ordinem cogere, longum foret. Itaque, generalis remedii vicem, proximâ dissertatione, ea in œconomia animali observabimus, quæ ad vaga ista et erratica mentis ludibria coërcenda nonnihil conducent. Simul exempla nonnulla proferemus, unde perspicuum fiat, ex diligenti ad rem anatomicam attentione, uberrima et certissima curationum indicia. Hippocrati pariter et Sydenhamo ignorata, esse profectura: ignorata autem dico, quod alter scilicet nesciret, alter paulò negligentius haberet observata anatomica. Interim diatriben hanc verbis Celsi claudimus:

"Rationalem quidem puto medicinam esse debere; instrui verò ab evidentibus causis, obscuris omnibus non à cogitatione artificis, sed ab ipsa arte rejectis."

QUATENUS

QUATENUS
HUMORUM IN CORPORE HUMANO NASCENTIUM
CONSIDERATIO
AD MEDICUM PERTINEAT;
ET, QUEMADMODUM ILLI EX FRIGORE
CORRUMPANTUR:
DISSERTATIO III.

Contrà hi, qui se empiricos ab experientia nominant, evidentes quidem caussas, ut necessarias, amplectuntur: obscurarum verò causarum et naturalium actionum quæstionem ideò supervacuam esse contendunt, quoniam incomprehensibili natura sit. CELS. *præf. lib.* 1.

Ῥόοι δὲ διὰ μὲν τὸ ψύχος γίνονται. καὶ τὰ λοιπὰ, i. e. *Propter frigus quidem fluxiones fiunt, quando in capite caro et venæ intenduntur. Hæ quippè, carne inhorrente, in angustum coactâ, et adstrictâ, humorem exprimunt: simul ipsæ carnes coarctatæ vicissim exprimunt effunduntque. Inde quod expressum est, quò sors cunque tulerit, fluit.*

HIPPOCRAT. *de locis in homine.*

§ 1. QUI *naturam* actiones suas ordine obeuntem sequitur, ejusque *facultates* et *agendi rationem* diligenter attendit,

sic

sic ut nullam sibi in *rebus naturalibus* sumat fingendi libertatem, nullas properanti ingenio laxet habenas, verùm indefessus incorruptusque sedeat contemplator; næ is omnia *naturæ* opera concinna, elegantia, utilia, atque ex caussarum, quamlibet distantium mirè tamen conspirantium serie, ubique inter se apta et connexa comperiet: in primis verò fossilia, vegetantia, et animalia omnia, singulasque eorum species, propriis quibusdam certisque subjici legibus, quarum fundamenta solertissimus rerum omnium Architectus, ut Geometra optimus maximus, in primis rerum seminibus ponere voluit; quorum vi solâ et fœcunditate insitâ exstructas perfectasque deprehendet tot miras spectabilesque rerum formas è rudi primùm et indigestâ materiæ communis mole.

2. Nihilominus tamen chymici, aviditate magis quàm veritatis studio ducti, eò devenêre vecordiæ, ut inimitabilis hujus opificii imitatores sciz. alterique quasi Creatores videri velint: itaque à multo jam tempore omni

ni ope contenderunt, ut artem arcanam in aurum convertendi omnia eruerent. At hîc quàm inanem luserint operam, ipsa res loquitur. Enimverò victrici ignis vi ex toto se credunt, quâ se extorturos sperant quidlibet, vel invito naturali caussarum effectuumque nexu: hujus auxilio freti, quia segniùs juvant aurifodinæ, compendia quærunt.

3. Quorum ne quid decesset proterviæ, nonnullis porrò visum est ex certo liquorum apparatu vel hominis ipsius novam moliri effectionem. At quàm id iterùm vanè et arroganter, palam erit cuilibet vel leviter attendenti, non dico diviniorem animum, sed complicatam modò variamque illam corporis machinam, partium positu, mole, figura consensu, adeò mirabilem, ut nunquam profectò divinum ejus artificium exæquatura sint temeraria pusillorum hominum experimenta, ad supremum licet conflagrationis diem usque repetita.

4. Verum

4. Verum quamvis ridicula sit hæc nimisque stolida Chymicorum gloriatio, ab ea tamen parvo admodum intervallo distat quorundam Medicantium inanitas, qui, insuper habitu *Naturæ magisterio*, multiplicique quam in suis actionibus exsequendis adhibet rerum famularum operâ, eam conceperunt suorum medicamentorum opinionem, ac si ea, citra naturæ ipsius auspicium, ultrò discederent in varias illas materiæ formas et complexiones, quibus constat humani corporis compages: quod perinde est profectò, ac si nihil interesse dicant, corpus animatum sit an inanime. Itaque boni illi anxiè conquirunt compositiones per se fœtas elementis *nutritionis*, *seminis*, *bilis*, cæterorumque corporis humani liquorum naturalium; neque non prægnantes *staminibus*, quæ partium ejusdem solidarum *principiis* aptè respondeant, unde nimirùm quoslibet corporis defectus expeditè suppleant, *humoris*, v. g. *genitabilis*, ex simili quam sibi fingunt ostreorum crasi et temperatione: *Nutritionis* verò et *renovationis*, ex serpentium cervorumque carne, quorum illæ *spolia*,

lia, hi *cornua* quotannis mutant *. Iidem ita prædicant efferuntque *gelata* sua *plastica*, *balsama vitalia*, *elixira salutifera*, ut ea non citiùs labris salutent deplorati ægri, quàm morbo quasi excantato integri protinus reviviscant. Ubique occurrunt medicamenta *demutantia*, *transformantia*, *emendantia;* quibus, quantum opus est, instaurentur, corrigantur, augeantur aut imminuantur proprii corporis humores. *Pectoralia* quoque, *hepatica* et *uterina*, quæ sive ex *contagione*, sive *analogia*, seu quâ aliâ *vi occultâ* consulant partibus imperio suo subjectis, quocunque demum illæ implicentur malo. At hæc vocabula, per se vaga nimisque indefinita, ut communiter arripiuntur pro cujusque libidine, ita aliam atque aliam interpretationem ferunt; quo fit, ut sectis maxime dissidentibus ex æquo tamen placeant serviantque. Sic omnibus uno quasi ore laudatur medicamentum, quod per se nihil agit;

* Anguibus exuitur tenui cum pelle vetustas,
Nec faciunt cervos cornua jacta senes.

Ovid.

agit; de vi et efficientia corporis omnia agentis planè tacetur. Quo quid inscitius esse potest, aut in corporis naturam dici contemptius? quæ tamen in suis operibus multùm abest ut pendeat ab ullo certo propriove pabulo, nedum in fugandis morbis, ab auxiliis istorum specialibus *.

5. Quanta quæso est rerum vegetantium copia? Quantus animalium partim terrestrium, partim marinorum numerus, quæ nunc tota, nunc partim iisdem corporis usibus inserviunt? quæ quidem omnia, quamlibet disparia, tamen æquè augeant nutriantque ejus partes tum solidas tum fluidas; ut et *ossa dura*, rigida, fragilia, et liquida *acris*que *bilis*, à tenerrimis maximèque insipidis nascantur herbis: imò omnes simul partes, tam solidæ quàm fluidæ, ex uno, sive lacte, sive alio quovis pabulo musculoso, accrescant; quin et ipsa ossa, per *ollam digerentem*, quæ *Papinum* auctorem habet, liquata, non modò ossibus nostri

* Specificis.

nostri corporis, sed et cæteris vasculis pariter et liquoribus quos continent nutriendis sint; ita ut id, quod in ossa primùm abiêrat, nunc in carnem convertatur, et vicissim nunc in ossa abeat quod olim caro fuit. Quare planè arbitror diversissimas quasque *sanguinis nutricis* partes æquè per se aptas habilesque esse, ut in hanc vel illam corporis substantiam transmutentur, dummodo æquè aptæ sint ad v sa, quæ singulis famulantur, obeunda: et proinde diversarum partium eadem omninò esse prima, si quæ sunt, elementa.

6. Hoc autem maximè declarabunt experimenta circa rerum vegetationem facta, ut quæ nostræ potestati et arbitrio maximè subjiciantur, arguentque omnia insitam naturæ vim et facultatem effectricem propriè non pendere ab eo quod sufficitur pabulo.

7. Enimvero in Actis Anglorum Philosophicis, t Commentariis Francorum Academicis, multa passim prostant experimenta, unde appareat, ex aqua simplici elici et educi posse plantas saporis vehementissimi; in quibus

 eminet

eminet Hombergii illud, qui ex nasturtio, cujus semina simplici enutriverat aquâ, non minus extraxit nitri (quo maximè gaudet id plantæ genus) quàm ex alio nasturtio, cujus semina aluerat aquâ ex nitro gravidatâ. Quotidie etiam videmus surculum alienæ arbori insitum, proprias sibi frondes, flores, fructus, succos, et si quæ alia sunt, efferre, quanquam inter hæc nihil mutetur arboris nutricis radix, sed eosdem, atque ante insitionem, è terra usque sorbeat diducatque succos alibiles.

8. Quæ cùm ita sint, quid jam evidentius esse potest, quàm quòd arteriæ, in quibus defertur commune corporis pabulum, eandem planè materiam in omnes ramos suos et ramorum propagines diducant: deinde importato pabulo non deberi tot tantasque ejusdem materiæ similaris transformationes; verùm uni corporis opificio et actioni naturali. Non equidem inficior ultimam mutationem, *rei*que *summam* gradatim perque incrementa quædam obtineri, at quotquot illi fuerint aut fingantur gradus, necesse est fateri, unam eandemque primitùs

primitùs fuisse materiam ingestam, quæ omnes illos mutationis gradus patiatur : in iis quippè locis, *v. g.* ubi aliqua fit proprii liquoris secretio, etsi permulta diversi generis vasa communem navent operam, ut liquorum, quos ea continent, misturâ privatam illam procurent secretionem ; tamen, quum exempla modò adducta doceant, ex una eademque materia simplici universos corporis humores dilabentes diu suppleri, probabile quoque est eandem simplicem materiam omnes singulosque suppeditare corpori liquores, eamque non nisi corporis vi, motuque naturali, in aliam atque aliam vicissim formam, pro varietate partium quas attingit, subigi et elaborari.

9. Atque hæc facultatum animalium, simul et innumerorum penè vasculorum in earum usum à natura comparatorum consideratio, præcipuè cùm vasa ista (quod diligentissimus Ruyschius anxiè notat) in variis locis mirè variantem texturam præferant, uti cuilibet attendenti evidenter recludit arcanas tot va-

riantium liquorum origines, ita demonstrat quàm inexplicabile moliantur opus qui singulorum in corpore diversantium *liquorum correctioni*, *resolutioni*, *inspissationi* student, unive rei alicui, quæ in universum omnia emendet liquorum vitia.

10. Nam in vestigandis singulorum liquorum vitiis, modò ut nihil ad ea conferant solidæ partes corporis, duo tantùm ſingi possunt casus, viz. ut vitium vel proveniat ab aliqua partium, quibus ipse liquor constat pravitate, vel ab aliqua malignitate extrinsecùs advieniente.

11. In primo casu, cùm partes liquorem aliquem animalis proprium constituentes, sint ipsæ quoque liquores animales, vitiositas ubique erit in ipso copore quærenda, sicque obeundus infinitus quidam liquorum circulus, quorum alii in aliorum compositione perpetuò intricantur.

12. Quod

12. Quod si, ut alter casus fert, liquores extrinsecùs vitiantur, neque possunt per ipsas corporis facultates emendari, quo tandem pacto id præstabitur? Ponamus *v. g.* primò vitium extrinsecùs illatum esse ex *acido* aut *alcali*, ex *nitroso*, *aëreo*, *nitro-aëreo*, *sulphureo*, &c. deinde cognitum esse nobis *antidotum* quo vitium id exterminetur, quodque, ut ipsum cætera non mutat, sic ab alio nullo mutatur, nisi solo *humore vitioso*, prorsus ut per densum diversissimorum liquorum agmen ab ipso ore ad occultas usque hostis latebras nullâ morâ possit penetrare, et cum hoste cominùs congredi; datis jam sic et concessis omnibus, nihil tamen causæ erit cur speremus *liquorem vitiosum* cum *antidoto* commissum continuò consensurum in plenam integramque corporis vexati pacem, neque ultrò daturum manus æquis sanisque ejus legibus. Fac enim conserto hoc certamine, acidi puta et alcali, interire *acidum*, quid tum postea? an omne *non-acidum* corpori utile et benignum? annon quod ex *acido* et *alcali* conflatum est perinde alienum esse oportet corpori, ut alius quilibet

 liquor,

liquor, in quo horum alterutrum modò dominetur? quod de cæteris item dici potest. Certè pharmacopœii, pictores, ipsique quoque aliàs chymici, de istiusmodi correctionibus diversum planè sentiunt, et in alia omnia abeunt: quippè qui, si fortè peregrinum quid, quod ullius sit momenti, suis intervenit compositionibus, aut si ullo pacto aberrant à proposito, protinus pro deperdito inutilique habent totum compositum, suamque in componendo frustrà esse operam fatentur, quòd nequeat emendari massa semel conflata perperam. At nihil iis facilius est, quàm ut rem subjectam ex *acida* faciant *alcalinam*, dominiumve tradant cui malint qualitati.

13. Quamvis autem sic satis inconsulta videtur horum hominum opera, ut per *antidota* vel *remotissimis* corporis partibus mederi velint, tamen videntur multò etiam insulsiùs iisdem antidotis oppugnare velle vitiosos in ventriculo humores. Nam qui qualesve, quæso, fingi possunt humores in ventriculo, qui non promiscuè possint ejici notissimâ radice, ipecacu-

ana?

ana? Nam alvum, vomitumque elicientia, quæ quidem tutò licet adhibere, nullum delectum faciunt *acidi alcalive*, &c. quibus nisi malum vincitur auxiliis, proximum est ut credamus malum altiùs alicubi suas egîsse radices, quàm in fluctuantibus istis quos somniant humoribus: quod si dicas eosdem humores, utpote ex spontanea cibi in stomacho solutione natos, à vomitu statim redituros, quidni idem fiet post antidota? Sin fatearis restituendum esse omninò corporis robur, quo præveniantur isti humores pravi, fateri quoque necesse est eò conferre nihil quæ vulgò jactantur *antidota* et *emendatoria*: tum ista humorum vitia aliud esse nihil quàm morborum *adjuncta* et accessiones, quæ nisi finito morbo, nunquam facessunt: quare non ab re mihi videor plurima hominum errata circa humorum vitia uni adscribere fonti, nempe œconomiæ animalis ignorationi, cujus in primis postulari merentur chymici, qui nihilo plus æstimant corporis humani *vasa*, quàm *utensilia* illa ænea, ferrea, aut fictilia, in quibus suas *digestiones*, purgationes, et dissolutiones con-

ficiunt, quique præter *fermenta*, et quæ vocant *menstrua*, aliud nihil crepant. Persuasum quippè habeo, ex iis quæ suprà de structura corporis sunt proposita, omninò sequi, *nullam esse inter operas chymicas et actiones corporis analogiam aut necessitudinem*: cùm per actionem corporis iidem semper ejusdemque generis liquores educantur ex qualibet materia; idque contra omnes, quæ quidem hactenus prodiêrunt, mechanicorum leges, longèque supra vires exquisitissimorum artis chymicæ instrumentorum, nisi fortè ignem unum velis excipere, cujus vi omnes ferè species materiæ in illas tandem celebres resolvuntur formas, quæ vulgò *elementa* audiunt: ast hinc vicissim nullâ ope possunt remeare ad species pristinas, nisi per mirabilem vim et potestatem primitivorum cujusque rei seminum propriam; quorum tanta est, tamque diffusa, et perpetua efficacitas, ut credible sit vel unum semen, cæteris omnibus perditis et amissis, non minùs omnem materiæ vegetantis molem, quamlibet diversam, in suam ipsius redacturum esse formam, quàm ad elementa chymica per ignem

nem redigantur omnia; ut in catholicis materiæ affectionibus non infima esse videatur ea, quâ seminum quorumcunque usibus inservit, et potestati paret.

14. Ex quibus Chymicorum, iisque plus æquo obsequentium Medicorum, apparet error, dum materiæ purè patibili assignant partes effectrices causæ organicæ, cujus interventu materia non solùm in suas partes discernatur, sed in alias etiam toto cœlo diversas transformetur. Nam per actuosas corporis humani seminisve alicujus vires non modò immutantur secundariæ rerum qualitates, cujusmodi sunt color, sapor, densitas, fluor, &c. sed ipsa res in solidum mutatur, ob mutatas partes, quas *elementa* vocant. Talem mutationem per ignem fieri ex professo docet diligentissimus Boylæus in chymista sceptico; atque eandem quoque fieri per *semina* satis abundè probant experimenta, de quibus suprà retulimus ex Gallorum Anglorumque Actis Philosophicis, unde ostensum est ex pura putà aqua progenerata esse *vi seminis* cuncta simul Chymicorum elementa:

elementa: prorsus ut pro comperto habeam, mutationibus quas cibus patitur nihil esse commune cum theorematis mechanicis, nihilque ad eas conferre vulgares leges motuum, quum nulla iis adhuc superstructa theoria doceat, quî hic quàm ille corporis humor potiùs producatur, quove pacto cibus in ossa, cartilagines, musculos, &c. digeratur potiùs quàm in alia quævis ab his abhorrentia: i. e. cur *bilis* propriè in jecinore existat, potiùs quàm *oleum* v. g. *cetarium:* cur in ore secernatur *saliva* lenis et amica, potiùs quàm acre et nocivum serpentium *virus:* denique cur *ossa* et *cartilagines* potiùs generentur quàm ovorum *testæ,* aut *flexiles* et fibrosæ *balænarum* laminæ, quæ quidem partes sunt animales, at quibus in humano corpore nullæ reperiantur similes, cùm tamen utrarumque generationi æquè respondeant evulgatæ omnes, si adhibeas, mechanicorum leges; id quod cuivis palam erit, qui istorum ratiocinia ordine sequens ex rebus modò comparatis alteram in alterius locum ritè substituet. Quid ergo de legibus dicemus adeò vagis et indefinitis,

quarum

quarum auctoritate quidlibet ex quolibet sequatur?

15. His si licet nostram sententiam interponere, sic prorsus existimo, ex his quæstionibus, quantumvis difficilibus et reconditis, nihil tamen impedimenti oriri solerti Medico, qui in curando corpore nunquam evagari cupit ultra limites à natura positas, quibus utique cæteros quoque omnes Physicos pariter adstringi videt, quorum, etsi nemini adhuc scire licuit, quemadmodum subtiles materiæ atomi in se mutuò agunt, quivis tamen possit multifariam pro re nata variare dirigereque machinas, quarum interea vis omnis motusque ab ignota atomorum in se mutuò actione pendet. Exemplo res clarior fiet: quotidie videmus per hominum industriam novas mirasque excogitari machinas, quarum prima et continuata actio ab aëris actione pendeat, dum intima ipsius aëris natura prorsus latet, ob nimiam sciz. partium ejus subtilitatem, quæ vel acutissimam oculorum aciem frustratur: hoc tamen non impedit quo minùs

certissimâ

certissimâ arte explorare liceat et dimetiri ejus vires, iisque porrò accommodare varia, ut tubos, valvas, pondera et similia, quæ omnia subjiciuntur artificum industriæ. Idem observare est in pulvere pyrio, cujus stupenda vis et natura planè inexplicabilis est, dum machinarum huic ritè subjectarum ratio omnibus in promptu est.

16. In corpore humano idem usu venit, ubi, post obscuras humorum misturas et juges mutationes, quæ nullam admittunt certam explicationem, relinquitur varia et multiformis machina explicationi satis opportuna, et subjecta curæ prudentis Medici, probè, uti par est, instituti in iis artibus quæ circa machinas versantur: hic enim magno sunt subsidio *Mechanice*, Hydraulice, Optice, Hydrostatice, ad plurimos corporis effectus commodè explicandos, idque sine ulla subtili hujus aut illius in corpore *liquoris* definitione. Sed neque hîc omitti debet res observatu dignissima, viz. *nullam* unquam existere solidarum partium corruptionem, quæ non unà

secum

secum trahat liquorum circumactorum in deterius mutationem; necnon liquidorum vitia, restitutis primùm solidis, protinùs emendari. Hinc enim fit, ut integris solidorum fibris, iisque neque nimiùm compressis neque obstructis, liquores intùs comprehensi universis corporis usibus ritè inserviant, à quocunque tandem ii proficiscantur pabulo; ut duro *agricolæ*, qui lacte *presso* vescitur, non segnius procedat omnium suarum partium nutritio, quàm *civi* delicatulo, qui solo *recente* lacte pascitur, in quo adhuc spirat *vitalis* quidam *halitus*, vigetque *succulentum serum*, ut ipsis Mystarum verbis utar. Non equidem inficior rusticorum cibos imbecillioribus alendis esse inutiles: id autem evenire aio, non quòd rusticorum cibi minùs sint valentes et alibiles, sed quòd minùs attemperentur imbecilliorum ventriculis corporisque vasis, quorum omnium tunicæ, ut plurimùm nudæ et inermes, per inopiam sciz. circumlinientis muci, magis exponuntur asperioris cibi stimulis, multisque adeò malis inde provenientibus, quæ ut evitentur, imbecilli lenioribus

coguntur

coguntur uti cibis, cujus generis sunt pulticulæ, sorbitiones, et jurulenta dilutiora; quibus tamen illi rarò roborantur, nisi ad cibos insuper accedat exercitatio, aliave medicina idonea ad collapsas machinæ vires restituendas, quibus in agricola, ut aliquo labore semper occupato, non deficientibus, ejus proinde omnes corporis liquores integerrimi reperiuntur, isque ex quolibet alimenti genere, *duro*, sive *molli*, ex materia *vegetanti* aut *animali*, *salita* vel *recenti*, perinde sibi parit *bilem* juxta et *semen*, liquores licet admodum dispariles, alterum nempe lenem, alterum acerrimum: ut in eo planè comprobetur Lucretii canon,

Nec refert quicquam quo victu corpus alatur,
Dummodo quod capias concoctum didere possis
Artubus.

Cui accedit Baco Verulamius in hæc verba:

"Materia reparationis quasi æterna esse "potuit, si instrumenta vel viæ non interciderent."

17. Quò

17. Quò autem clarior evadat omnis hæc quæstio de liquoribus, in medium adducere visum est singulares quosdam morbos, in quibus tum explicandis tum curandis maxima semper habita est humorum ratio: in his initium faciemus ab eorum contemplatione qui à frigore proficiscuntur, quòd de illis etiam hodieque gravissimæ agitentur lites.

Has lites Sanctorius, non ita pridem, ex subtili observatione cæcæ atque occultæ *perspirationis*, quam ille quidem à *frigore* retentam esse putabat, primus composuisse visus est; cujus mox theoriam calculis suis passim comprobare studuerunt *ratiocinatores* non incelebres, donec vir eruditus Jacobus Keilius, popularis noster, multis indubitatisque experimentis eam omnem funditùs evertit, contrariamque proposuit; nempe, "ex frigore per poros intromitti auram aliquam malignam quâ corporis liquores coagulentur, indeque tam gravia existere symptomata."

18. Eadem

18. Eadem fuit et veterum hac in re opinio, quam cùm Sanctorius malè rejecisset, meritò vicissim à Keilio restitui videri possit. At, si quid video, nullo id operæ fructu aut compendio, quamdiu non definitur *suspecta malignitas*, quove modo inde tam gravia variaque oriantur symptomata. Quare non alienum erit, utrâque sepositâ, novam ordiri hypothesin, cùm simpliciorem, tum fundamentis compertissimis pulchrè consistentem, quam nunc jam eruditorum judicio lubens permitto.

19. Multis argumentis constat inter varia corporis vascula exactissimam intercedere *symmetriam* seu commensum, et proportionem, iisque respondere *cordis vim*, *sanguinis*que *modum*: hîc omnia ad *numerum*, *pondus*, et *modum* exacta videmus, ubi singuli *rami* ita suis respondent *truncis*, ut nulli eorum possint diminui sine manifesto sociorum detrimento. In hanc rem plurima exempla præbet Theophili Benedicti *Theatrum tabidorum*, maximè in Exercitatione Dianoetica quarta, quorum omnium rationes aperit disciplina hydraulica.

hydraulica. Tum diligentis Ruyschii injectiones abundè docent, "quamlibet vim extra-"ordinariam vasorum extrema urgentem ne-"cessariò magnas inferre liquorum extra "vasa propria effusiones in omnia corporis "loca:" in ventriculi sciz. capacitatem, vide Thes. VI. N° XXXIII. In sinum qui est secundum cerebri longitudinem, Thes. VIII. N° II. In urinæ ductus, ibid. N° XLIV. In hepaticos, Thes. IX. N° LIX. In intestinorum cavitatem, ibid. LXXXI. et Thes. II. N° XIV. Inter cordis fibras carnosas, Thes. X. N° XXXV. et Thes. VI. N° CXXV.

20. His consideratis, non erit difficile omnia symptomata ex frigore nascentia explicare, si probè attendamus vasorum affectorum positum, deinde si confessa habeatur certissima illa frigoris proprietas, quâ vini spiritum æquè condensat atque alia pleraque fluida et solida, præsertim *animalia*.

21. Inter effectus *frigoris* in corpore humano maximè notabiles, sunt *destillationes*,

quas Græci καταῤῥȣς et κατασταγμȣς vocant, aliique *fluores* præter naturam evenientes ad *glandulas*, passimque per omnes corporis partes, ubi *retrusa* jacent vasa secernentia subter loca *frigore* tacta: ut si frigore excipiatur *facies*, sequatur destillatio in *nares*; si *cervix* et *collum*, quæque juxtà sunt partes, tum fluor ad *fauces*; sin *inferiora*, fiat inde fluxio ad *intestina*; et sic porrò.

12. Quod ad *destillationes circa nares* et *fauces* attinet, satis constat in causa esse *glandulas*, quæ magno numero ibi reperiuntur à *ramis externæ carotidis* propagatæ; quia autem illi sub exterioribus tegumentis *altiùs* primùm conditi, mox *summis* circà partibus alios suppeditant ministrantque *ramos extrorsum* vergentes; inde fit ut illi, qui glandulis suppeditant, rami, ipso quidem *positu*, tuti et immunes sint à vi frigoris, dum cæteri, qui externis tegumentis, aliisque circà partibus inserviunt, eidem maximè exponuntur, præsertim verò venæ omnes revertentes, quæ ad summam ferè cutem enituntur, ut cum sum-

mis

mis *jugularibus* se conjungant: Atque ex eo omnes partes *summas*, tam venas quàm arterias, à *frigore*, ut fit, plurimùm *stringi* contrahique, ibique plus solito *resisti* adfluenti *sanguini*, cujus proinde major impetus concutiet *internos* liberosque ramos; quum constet, *Quo plures à trunco prodeant rami, eo minorem esse per singulos fluidi labentis velocitatem* *; ideòque vice versâ, *Pro diminutis ramorum lateralium diametris, numerove, augeri in cæteris velocitatem.* Quod de redeuntibus venis, non minùs quàm de arteriarum ramis propriè sic appellatis, dictum volo; quia impedito, quacunque id de causa fiat, in *venis* sanguine, necessariò etiam impeditur in *arteriis connexis*, ita ut omnibus venis obstructis nullus esse possit fluxus per arterias, quæ cum iis continuantur; unde omnis affluentis liquidi vis se in *glandulas* effundet, quòd ibi vasa secernentia pateant liquori aliàs intersepto. Quod si non omnes venæ obstructæ sunt, sed pars tantùm; aut si prorsus non

 obstructæ,

* Keil de velocitate sanguinis.

obstructæ, sed diametris tantum diminutæ sunt, tum, pro ratione impedimenti in venis ex utravis causa oriundi, necesse est urgeri vasa secernentia.

23. Ex his omnibus ordine expensis de facili colligitur, secretionem in narium faucium que emunctoriis augeri debere, pro modo frigoris (seu facultatis constringentis) summis carotidis externæ ramis, venisque eò pertinentibus, adhibiti; eamque secretionem, cæteris paribus, in una quâm alia parte minorem majoremve esse, prout vasa externa à frigore contacta propiùs remotiùsve cum emunctoriis communicant. Vid. Bellin. *de missione sang.* prop. 1. atque hinc, *datâ parte* * *frigeratâ, facilè erit invenire locum mox afficiendum destillatione.*

24. Quod si nondum omnibus satis patent rationes hactenus adductæ, præsto est experimentum ab industrio Lowero olim captum, quo

* i. e. afflatâ frigore.

quo tota res penè ipsis subjicitur oculis: Id autem sic habet, in capite 2do, *de cordis motu.* "Venas," inquit, "jugulares, subducto iis filo, "in cane arctè ligaveram; et, post aliquot "horas, partes omnes supra ligaturam mirè "intumescebant, et intra duos dies, canis, "quasi anginâ suffocatus, interiit. Toto hoc "tempore non solùm lachrymæ copiosiùs "fluebant, sed et plurima saliva ex ore pro-"fluxit, non aliter quàm si, mercurio as-"sumpto fluxus ille concitaretur. Dissecto "tandem cane, musculi omnes et glandulæ "sero limpido maximè distentæ, et admo-"dum pellucidæ apparebant."

25. Hoc certè experimento evincitur, secretiones, si sanguis consueto itinere per vasa prohibetur, plurimum augeri in glandulis immunibus.

26. Expositis jam harum destillationum fontibus, quibus tot diros gravesque effectus non immeritò attribuerunt veteres, ad alia nunc venimus quæ his conjuncta sunt naturæ

phænomena, ut ea ad amussim scientiæ anatomicæ similiter exigentes explicemus. Atque ut à *naso* auspicemur, scire licet eum crassissimâ membranâ convestitum esse, quâ parte sedent glandulæ et emunctoria, unde in nares utique è penu sanguinis destillat humor *. Aucto igitur in hujus membranæ vasis (quæ magno reperiuntur numero) fluidi *momento*, uti suprà posuimus, necesse est ut singula ejus vasa amplientur, totiusque moles insigniter increscat, indeque iter, quod os et nares interjacet, arctetur: cui consequens est illa, ex frigorè adeò familiaris et quotidiana, per nares spirandi difficultas. Verùm equidem est, idem evenire posse ex naribus undecunque oppilatis, sive ex nimio illic stabulante muco, sive ex polypo, &c. at nos de eo tantùm casu nunc loquimur, ubi spirandi difficultatem comitatu multa destillatio.

27. Rursus ex assiduæ pituitæ defluxione efficitur ne ea crassescat, maneatque, uti par est,

---

* Ruysch. Thes. VI. No. III., Thes. III. Tab. 4. Fig. 5.

est, ad officium suum faciendum, i. e. ad nervum olfactorium communiendum; quod ni fiat, nervus facili negotio irritatur, tantoque magis, quanto cum membrana, uti diximus, intentâ simul ipse nervus contenditur. Huic caussæ duplici omninò acceptum ferimus, quòd nervus is tam facilè irritetur, in eo quem depingimus morbo, sive à profluentis humoris titillatione, sive ab attracti aëris frigidioris offensione, unde frequens oritur *sternutamentum*.

28. Unus adhuc restat hujus morbi casus, unde plerisque obortum esse reor malignæ cujusdam auræ, seu *miasmatis* latentis, suspicionem, nimirum partium circa nares *exulceratio*: quâ suspicione eos ut exolvam, scire debent, ad cuticulam in quavis parte corporis dilacerandam satis esse partis invicem *madorem* et *attritum*, ex eaque laceratione necessariò sequi *exulcerationem*: quare quum assidua humoris *destillatio* frequentem inducat *abstersionem*, et ex ea *tritum*, veram mihi videor hujus rei invenisse caussam. Quin idem

quoque efficere queat aër *gelidus*, si est pars *humecta* in quam agat, humorem *congelando*, atque eatenus in cuticulæ spatiolis *dilatando*, ut eam *rumpat* aut diffindat, haud equidem inficior: at inde neutiquam evincetur sive *aëris* ipsius, sive destillantis *humoris*, *malignitas*. Quo autem omnis eximatur dubitatio de perpetuæ fricationis attritûsve, ut suprà posuimus, efficacia, opus tantum est animadvertere, ut similis partium *exulceratio* sequatur crebram nasi *detersionem* ex insolenti nicotianæ usu; utque circa *labia* suboriatur *scabies* ex impressis sæpe inter se amantium *osculis*, quorum individuus comes esse solet præceps exundantis *humoris* effusio, deinde *extersio*. Denique sententiam nostram maximè confirmat, quod in casibus propositis nunquam exulceretur is, qui à fricatione sibi possit temperare.

29. At quæris, cur è cœlo frigido in conclave se recipienti homini à frigore statim læso, cum cæteris symptomatibus unà non desinat destillatio pertinax, quam Hippocrates

coryzam

coryzam vocat, quum per calorem exteriores rami priùs contracti nunc relaxentur? Respondeo, per auctum liquidi momentum in vasis internis vi frigoris extra incumbentis, fieri, ut vasa ea præter consuetudinem intenta suo fraudentur *robore et vigore* naturali, quo sciz. *latera semper suâ sponte nituntur versus axem*, atque eà re minùs nunc reniti queant impetenti fluido, unde stato tempore uberior existet secretio; durabitque longiùs, quo magis vasa emunctoriis proxima primo frigoris impetu inflammata fuerint, (id quod ex præcipiti affluentis liquidi lapsu necessariò eveniet, in vasis utique exiguis et plurimùm mutuòque involutis implexisque, uti demonstravit Bellinus *), namque inflammationem nunquam non sequitur febricula, a qua ampliùs etiam urgentur debilitata vasa, eâdemque operâ non sinuntur pristinum recuperare tenorem.

30. Sed

* De motu bilis, prop. XXVI.

30. Sed ex eadem Bellini propositione patebit quoque causa, cur intentiore frigore oriantur in *capite dolores* sæpe ingentes, et in *oculis suffusiones* sanguinis, in *auribus sonitus*, et auditus gravis: nempe quia hæc sunt genuina *inflammationis* ad has partes effecta; tum ex imminuto inde vasorum robore, tonoque naturali, de earundem affectionum duratione perinde constabit.

31. Ad alios nunc destillationum fontes, casusque conjunctos venio. In quibus omnia modò expositis planè *gemina* reperio; ut in ore *gingivarum tumor*, *uvæ productio*, *glandularum fartura*, easdem habeant caussas cum *tumore* tensioneque membranæ *pituitosæ*; *branchus* item affinis sit coryzæ, ita tamen, ut in brancho copiosior sit catarrhus, quo plures diversique generis glandulæ ad fauces coeunt. Atque hîc iterum *sternutamentis*, ex irrititato nervo olfactorio oriundis, respondes *nausea* et *tussis*, illa, ex nervorum circa *pharyngem*, hæc ex simili ad *laryngem* irritatione. Cùm enim hîc *pituita*, aut illic *mucus*, ob fluxionem jugem

gem nunquam spissescat, sic ut nervis defendendis sit, ex eo fit, ut rivulus continenter cadens haud aliter teneros interioris gulæ nervos titillet offendatque, atque consuevit oberrans fortè leniterque perrepens plumula; pariterque nauseam moveat, quæ hisce morbis perfamiliaris est: unde tamen vulgò fallax arripitur indicium præsagiumque repurgandi per vomitum ventriculi. Similiter ex iisdem caussis laryngem afficientibus excitatur ea *convulsio* quæ *tussis* dicitur, quam cùm quælibet liquoris de naturæ via errans guttula quovis tempore ad laryngem excitare consuevit, multò magis nunc excitabit destillatio crebra, ob membranam sciz. nunc magis distentam, et à tutante muco destitutam; eandemque tussim motam fovebit hausta quævis *aurâ* acrior aut frigidior.

32. Ex quibus omnibus facilè perspicitur magna horum casuum inter sese convenientia, utcunque varietatem nonnullam subinducat varia partium structura, uti ex jam dictis patet; latiùsque etiam patebit, si vacabit horum

morborum

morborum proprios decursus, à carcere, ut aiunt, ad calcem usque persequi. Huc spectat verax Celsi observatio, "Si ex capite in "nares destillat humor, leve est; si in fau-"ces, pejus; si verò in pulmones, pessimum." Cujus rei causa hæc est, pulmones vicem gerunt *cisternæ* cujusdam sive receptaculi, quo colliguntur depluentes rivi, à tussi violenter agitati; unde tenuior humoris incumbentis pars propellitur, dum crassa resistit, bronchiorum extrema farciens, et adjacentia vasa comprimens: hinc polypi, inflammationes, scirrhi, malorumque quæ ista secum trahunt ilias. Verùm his, quia ad omnes hypotheses æquè pertinent, non nunc immorabimur.

33. Proximum est ut de diarrhœa, seu fluore alvi, et huic conjunctis, agamus; cùm autem eadem sit hujus atque destillationum jam relatarum ratio, necesse non videtur hìc sermonem trahere.

Itaque lubet magis quædam excutere symptomata, quorum cum superioribus nexus non ita facilè apparet; *rheumata* intelligo, et *dolo-*

res

res subitò *fodicantes* et pungentes. Neque dubito quin et nexum hunc è tenebris in lucem mox cruam, demonstremque ista mala ab eadem vasorum in *modo* et *commensu* mutatione proficisci, atque in superioribus casibus animadvertimus.

34. Hujusmodi *punctiones* et rheumata per omnem corporis superficiem indiscriminatim grassantur, eo quod nulla pars sit tam exigua, quæ ab omni prorsus secretione vacet: siquidem in spatiis musculorum, neque minùs in ea, quâ eorum fibræ amiciuntur, tunicâ *adiposâ*, perpetua quædam est humoris fluxio, quemadmodum nos docent et Loweri et Ruyschii experimenta, de quibus diximus. Tum ad omnes articulos insignes apparent glandulæ. Adde rotunditatem tendinum, et prominentiam ossium, unde præbetur ampla materiæ recipiendæ opportunitas. Nam ea, quòd altiùs demersa sunt, totam vim et impetum sanguinis patientur, ut cui interdictum sit libero per summa vasa à frigore jam constricta transitu. Erit igitur (quod suprà observavimus)

mus) et hîc circumcircà *secretio* copiosior, indeque partium *tensio*, quæ idcircò insolentem concipient *dolorem*, maximè ubi eas necesse est moveri, idque propter actionem mutuam tàm liquoris intùs accumulati, quàm vasorum continentium. Hinc quoque patet caussa cur pars affecta sæpe cum rubore intumescat: cúr etiam, partibus quietis et immotis, remittat *dolor*.

35. Ergo si ponamus magnam summi corporis partem simul excipi frigore, ex eoque rheuma quaquaversum spargi in multos tam musculos quàm articulos, facilè intelligetur, quî singulorum musculorum usum et actionem sequatur dolor atque punctio; quî etiam, variatâ corporis positurâ, punctiones istæ subitò de loco in locum migrent, pari sciz. celeritate, atque se mutuò excipiant musculi, quorum usus est in corpore vertendo, surrigendo, vel alio quovis modo inflectendo. Quî etiam cæteris *rheumatismis* gravior sit is, qui *inquietes* spiritui trahendo et reddendo destinatos musculos infestat. Denique, cur destillatio, si

circum

circum articulos diutiùs hæret, et in partes ambientes redundat, earum tandem tonum et vigorem ex nimia distentione prorsum infringat, quarum ubi desiit actio in liquores hosce extravasatos, efficitur, ut ne ampliùs liquores ipsi fluidi remaneant, habilesve qui vicissim absorbeantur, sed contrà, ut facilè coagulentur et indurescant, postremò ut reddant articulum planè immobilem, qualem eventum sæpe ostendit usus.

36. Denique quod ad *febrim* attinet, quæ hoc in casu nunquam ferè corpus dimittit, nisi cùm valde extenuatum est, scire licet, eam *inflammationi* vasculorum, quibus obsidentur partes affectæ, eodem modo quo suprà notavimus, deberi.

37. Etsi autem hæc hactenus videantur quadrare satis, ne sic tamen vulgo satisfiet, quamdiu non constat de *sanguine rheumatico*, cujus explicandi causâ ab aliis invectos videmus in hujus morbi thèoriam tum *sales* peregrinos, tum alia nescio quæ *coagulantia*.

38. Quamobrem

3. Quamobrem quò clariùs procedat jam incœpta hypothesis, in primis animadvertendum duco, ejusdem planè generis, sanguinem, i. e. *subalbidum* et *glutinosum*, ex plaga vel levissima, aut obstructione qualibet, existere; sed ut *effectum*, non ut mali *causam*. Nam obstructo vase, necessariò sanguis aliquamdiu circà remoratur; atque huic *moræ* unicè debetur omnis hæc famosa in rheumaticis *sanguinis labes* et corruptio: id quod vel simplici hoc patebit experimento. Injiciatur brachio aut femori vinculum bene arctum, deinde post tres quatuorve horas incidatur vena, sic, ut ne sanguis effluens cutem lambat, verùm rectà liberèque prosiliat (ut monet Sydenhamus in pleuritidis curatione); hoc facto, nunquam aberit *sanguis rheumaticus*. Neque is profectò, qui solà vi *circulationis* liberæ *chylum* primò *rudem albidum*que, in sangninem mox *floridum* et *compactum* digeri non ignorat, facilè postea demirabitur, quî sanguis idem, eâdem *circulatione* mox inhibitâ, aut paulùm intermissâ, rursus *recrudescat*, atque ad naturam suam pristinam redeat,

redeat, nisi quod paulò *glutinosior* sit, ob calorem sibi recens à corpore impressum.

41. Exemplum huic simile exhibent mulieres gravidæ, quarum sanguis nunquam non rheùmaticus est, hac una de causa, quòd in vasculis uteri sanguiferis tardiùs segniùsque fluat, propter compressionem à fœtu connitente undique factum.

42. Hinc collegi potest cur sanguis hanc maximè speciem induat ex appulsu frigoris: nam, uti ostensum est, ex eo appulsu fit, ut sanguis majore cum impetu feratur ad interiora corporis, ex eoque impetu haud parùm retardetur, nisi quâ parte patet vas aliquod secernens, per quod celeriùs fluat. Hujus rei exemplum exhibet natura in alveo fluminis angusto, quem derepentè ingreditur confertus aquarum *torrens*, cujus pars illa quæ alveum subintrat concitato defertur gradu, at quæ ab utroque latere pars est, per obstantes utrinque ripas, primùm consistit hærens, mox in cumulum attollitur.

43. Eodem planè modo torrentioris rapidiorisque sanguinis pars magna sistit accumulaturque ad utrumque vasis secernentis latus, donec musculorum circumsidentium motu, aut ipsius vasis vi constringente, vel in alveum ipsius secernentis propellitur, vel aliorsum ad liberiores patentioresque ejusdem trunci ramos cum venis continuatos repellitur, ut per eas tandem remeet in publicam *regiam*que *sanguinis viam*. Ex ea autem brevi quam posuimus, *mora* et hæsitatione impediti sanguinis nascitur id omne *vitium*, quod in *rheumaticorum* sanguine se ostendit, uti jam adductis in medium exemplis patet.

44. Porrò ex perpetuo sanguinis circulo (cujus ope omnia per corpus quaquaversum disseminata vasa perlustrat obitque vicissim unaquæque totius sanguinis pars) fiet, ut unaquæque pars sanguinis, ubi semel appulsa est ad *locum impeditum* (tanquam ad totius mali *officinam*) necessariò inde, cum motu amisso, amittat unà suam motui duntaxat debitam, *formam sphæricam* et *compactilem*, protinusque

tinusque degeneret in *floccos* planos, latos, et fungosos, eosque quàm priùs *specie* leviores; qualibus continenter implebit infarcietque totam sanguinis massam: huic consequens est, ut in rheumaticis haud citiùs incidatur vena, quâcunque id fiat parte, quàm in summo sanguine effuso confertim emicent leviores illæ et corruptæ partes, quæ quidem inter se cohærent arctiùs et tenaciùs, propter ampliores, quibus continentur, superficies.

45. Sed quo magis de hoc *lentore* simul et *subalbido colore* sanguinis rheumatici constet, commodum se offert Ch. Benedicti Exercit. Dianoet. XIV. ubi probatum dat, sanguinem *requietum*, si modò is temperato calori (qualis est sani hominis calor) exponitur, è vestigio *subalbicare* et *lentescere*.

46. His ita explicatis satis videor in præsens exsequutus esse morbos à frigore ortos, eorumque varia *adjuncta*, sine ullo salium Chymicorum, quibus alii tantoperè abutuntur, adminiculo.

47. Restat nunc tantùm una, quantum video, difficultas; cui tamen, quum totam hanc doctrinam convellere videatur, maturè occurrendum est. Nempe, destillationes, tusses, rheumata, &c. quæ quidem nos omnia ab *efficientia* frigoris simpliciter arcessivimus, non tam *thermometro* quàm *hygrometro* respondere, qua de re inter antiquos juxta et hodiernos convenire video. Quanquam autem verum esse fateor quod illi animadvertunt, id tamen nego obstare, quo minus frigus simpliciter et per se, nullâ interpositâ aëris *malignitate*, causa sit horum omnium malorum. Sciri enim debet, ex cœlo humido longè alium frigoris *modum* gradumque cum nostris corporibus quàm cum thermometro communicari. Enimverò ad thermometrum non accedit plus frigoris quàm quod æquabiliter diffunditur per omnem atmosphæram ambientem, quæ, cæteris paribus, semper magis minùsve friget, pro aquæ innatantis modo, cùm in numero, censuque corporum, *aqua* maximè frigus recipiat: verùm ad corpus nostrum, vestibus seu linteis, seu laneis, undique amictum, tan-

to

to plus accedit frigoris, quanto plus aquæ aëri innatantis vestes illæ attrahunt imbibuntque: quæ cùm saturantur sub cœlo humido, frigus simul majus corpori impertiunt nostro; quanto autem hoc frigus excedat frigus puri puti aëris, vel etiam aëris pauciori aquâ saturi, persuasum habebit, quicunque modò manus ex aëre frigido in aquam frigidam immerget; is siquidem qualecunque fuerit cœlum, *aquam* semper sentiet *aëre* multò frigidiorem.

48. Hinc est, ut, humente cœlo, cum spiritus in thermometro minùs deprimitur, nos tamen, ex sensuum relatu, plus frigoris experiamur, quàm rigente brumâ, cum ille maximè deprimitur: et vicissim sicca frigidâque tempestate, corpus nostrum à frigore tutum sit per ambientes vestes, in quas utique non temerè per se penetrat aër; unde in eo statu, minùs sentiamus frigoris adesse corpori nostro vestibus contecto, quàm in aëre ambiente inesse indicat thermometrum, dum partes à vestibus nudæ, atque aëri frigido planè exposi-

tæ ejus vim satis superque sentiunt: hinc fit ut hoc temporis, cæteris partibus neutiquam affectis, *faciem nares*que occupent destillationes ex contactu frigoris.

49. Dissoluto jam nodo, restat exponere, cur in animum maximè induxerim, morbos illos omnes, quibus tamdiu explicandis immoratus sum, soli imputare frigoris efficaciæ, non autem ulli aëris cœlive *malignitati*: nempe, quia quovis anni tempore, quâvis diei horâ, iidem effectus se ostendunt, si quo casu illæ, quibus cingimur, vestês humescant ex quovis aquæ genere; ut si quæ sit malignitas, ea omnis referanda sit ad *modum* gradumque frigoris à *madore* communicatum.

50. Hinc variis occurritur quæstionibus quæ eòdem pertinent, cur *v. g.* à sudore multo, sive ab igne, sive ab exercitatione pluscula, aut alia quacunque causa profecto, periculum sit exponi cœlo frigido, quamdiu vestes sudore madent? cur, à vestibus, sive ex pluvia, sive ex pavimento recens loto, sive ex pariete nuper

nuper incrustato, sive aliunde, madidis, metus sit? nam in hisce casibus, aliisque multis non abludentibus, etsi multum inter sese distent res corpori nostro oblatæ, unde supradicti morbi nullo discrimine oriantur; tamen nihil usquam reperitur quod culpari possit, quodque omnibus sit commune, præter humiditatem, quæ et ipsa frigus intimè recipit, idque, per vestes medias, cum corporibus, quibus adhærent, subtiliter communicat.

51. Cæterum in iis casibus, quoties in corpore per exercitationem, aut aliàs, major est, quàm esse consuevit, calor, aliud est præterea considerandum: quippè cujus interventu symptomata frigoris et celeriora sint et manifestiora; id autem est à calore accedens *sanguinis raritas*, quâ ejusdem moles increscit non mediocriter; sic ut à frigore intrò adactus fortiùs agat in vasa interiora, eorumque vires faciliùs vincat. Ex his caussis copulatis in promptu quoque erit, cur aër per angustam rimam irruens, corpori constanter imprimat frigoris symptomata, illique præcipuè parti, quam

quam perflavit proximè? Vis utique sanguinis à cubiculi calore fota, externum furtimque irruentem aërem juvat ad effectum certius exerendum in vasa, vasis externis, quæ perflavit, proxima, atque eo certius, quo major protegentis cubiculi calor.

52. Ex hac frigoris in corpus humanum agentis historia liquidò sequuntur quædam corollaria, quæ cùm ad mortalium usum non mediocriter spectare videantur, ea quoque subjicere non gravabimur.

Cor. I.

Quæcunque mutationes accedunt liquoribus humani corporis à frigore contacti, eæ omnes debentur mutatis antè solidis.

Cor. II.

Catarrhus, tussis, rheumatismus, &c. solidarum, non fluidarum corporis partium morbi sunt.

Cor.

Cor. III.

Quanto faciliùs latera vasorum cedunt impulsui, tanto faciliùs longiusve invadunt morbi, de quibus agimus. Hinc juvenes tenelli, aliive debiles, ad istos morbos procliviores.

Cor. IV.

Quo sæpiùs longiùsve pars aliqua impetita fuit, eo promptiùs postea revertet morbus. Quia enim vasa nostri corporis sunt elastica, (qualia, si diutiùs violenter manent contenta, consueverunt *elaterem* tonumque suum, i. e. *renitendi vim*, plurimùm amittere), inde est ut eâ semel labefactatâ deinceps cedant promptiùs cuilibet vi ingruenti. Hinc etiam quibus necessum est multum exponi Jovi frigido, periculum est majus, si olim è gravi frigore laboraverint; dum alii frigoris noxam nondum experti, sed paulatim, modò frigidæ auræ assueti, non tam facilè sentiunt damnum: quoniam ex quotidiana assuetudine eorum vasa omnia paulatim confirmata sunt: unde

unde licet vasa *externa* majori urgeantur vi, *interna* tamen habent quo possint resistere.

Scholium.

Quum catarrhi, tusses, &c. ut plurimùm pendeant à secretionibus hîc illic adauctis, et à nervis circumliniente muco nudatis; manifestum est ex pluribus aliis causis, quàm è frigore existere posse eadem symptomata; cujusmodi id omne erit, quo vel comprimantur vel obstruantur vasa, quæ glandulis sunt à latere; vel quo deteratur mucus, qui nervis est præsidio: deinde senes * istis morbis extra omne frigus opportunos esse, quippè in quibus jam † coaluerint plurima vasa; quæque in officio adhuc manent, *callosa* sint, minùsque contractilia: ex eo autem quod trunci pauciores habeant ramos, et rami jam rigidi et callosi parum se opponant pervadenti fluido, efficitur secretio liberalior. Quare cùm tot diversæ horum morborum causæ sint præter frigus,

* Hipp. Aph. 31. Sect. 3.

† Boerhaav. Instit, Sect. 467.

gus, quod unum nunc attendimus, non æquum foret *curationem* mox à nobis in uno frigoris casu proponendam, in aliis quoque experiri, præcipuè ubi tussis oritur à pulmonibus *inflammatis*, aut polypo, scirrhove, oppilatis, &c. quo in statu prorsus alia requiritur curatio.

Cor. V.

Catarrho, tussi, &c. medicina est, toni vasorum labefactati redintegratio. Hinc indicari puto hanc curandi rationem.

Primum, ut sanguinis impetum a vasis affectis revocemus, vel in universum, sanguinis missione, tenuique victu, &c. vel propriè, ramis, qui vasis affectis sunt à latere, adhibendo medicamenta quæ emolliunt (qualia sunt potissimè quæ partes circumfovent calore leni et assiduo), unde eorum diametri ad id uberiùs recipiendum, quod per communem truncum advehitur, amplificentur. Verùm ad missionem sanguinis victumqne tenuem quod attinet, eaque omnia quibus debilitatur corpus, *cautio* est. Nam, ut bene notat magnus Sydenhamus,

Sydenhamus, ex iis rebus diu usurpatis totius corporis tonus roburque sensim sine sensu perit, supervenitque hydrops, aliaque quæ debilitatem sponte consequuntur mala, unde confirmatur, non tollitur morbus; itaque post liberaliorem sanguinis missionem unam atque alteram (quâ non debilitetur corpus, sed tantùm minuatur vis sanguinis in vasa affecta ruentis) ea rectè usurpantur quorum ope simul in vasis major fit *contractio* (quâ solâ pristinus redit tonus) impetusque sanguinis *aliò* avertitur. Utrumque maximè præstare credo quæ alvum movent, qualium ex auxilio Sydenhamus unicè * pependit in rheumatismo, post iteratam, aut ad summum tertiatam sanguinis missionem : nam in hoc morbi genere *proprias* purgantium vires adscribendas censeo ei quo gaudent *stimulo*, quippè quo omnes *relaxatæ* corporis partes ad *contractionem* invitantur, deinde *tonum* infractum prostratumque recolligunt. Quanquam enim eodem tempore per ista incitetur sanguinis *motus* vasorum

* Vid. Syden. Epist. ad Rob. Brady.

sorum *contractioni* inimicus, eum tamen vincit superatque *stimuli* quaquaversum diffusi vis major ; præsertim post detractum sanguinem. Atque alvum citantibus inesse facultatem resarciendi quassatum vasorum tenorem, porrò confirmat ea quæ consequitur alvi *adstrictio*, quæ certè non aliunde provenit quàm à novo intestinorum robore. Idem docet eorundem usus in ulceribus pertinacioribus sanandis, quod etsi vulgò *dejectæ* materiæ infestanti solet adscribi, me tamen judice, rectiùs adscribi debet partium læsarum *robori* restituto. Denique idem suadet vigor ille quem per ista sæpe videmus reddi ægris, ex diuturna vasorum tensione languentibus, ut post febres, vel ex morbo aliquo longo debilitatis.

53. Quod si his remediis, non cedit morbus, in subsidium advocanda est exercitatio, nec non chalybis, aliarumque rerum usus, quibus roborantur co poris fibræ citra liquorum dispendium ; id enim, si assiduum est, corpus exhaurit prosternitque.

54. Atque hæc curandi ratio ad *rheumatismos* maximè pertinet, in quibus utique non patet aditus ad vasa affecta, nisi per longum et anfractuosum iter quod ab ore incipit: verùm in aliis casibus, ut in oculis à frigore inflammatis, in coryza, in brancho, in destillationibus ad pulmones, in uvæ productione, et fluore alvi; medicamenta partibus, quæ malè habent, protinus et seorsum adhibere licet: qualia sunt collyria, sternutatoria, gargarismi, &c. quæ omnia componi possunt ex rebus stimulantibus et adstringentibus, utiliterque adhiberi sine ullo sanguinis tumultu, iis duntaxat exceptis, quæ alvum moliuntur. Porrò, hanc curandi viam munit adstruitque quotidianus Medicorum usus in reducendis oculorum uvæque vasis nimiùm distentis: Quòd si in catarrhis et tussi huc illuc vagantur Medici nullo certo tramite, id non aliunde fit, quàm quòd ignorent hos quoque morbos ab eadem proficisci causa, i. e. ab immodica vasorum distentione: mirandum itaque non est, si eos sæpe videas ad tussim à frigore simpliciter acceptam lubricis abuti pectoralibus,

bus, cùm ea tamen nulli respondeant tussis generi, nisi fortè illi, quod provenit ex pulmonibus à polypo scirrhove vitiatis, quo de genere nihil nunc, affirmo.

Sed morbi sic, ni fallor, satis jam expositâ historiâ, simul indicatâ curatione conveniente, non necesse est singula subtiliùs persequi, quæ quilibet per se medicus prospiciet colligetque ex ea quam dedimus theoria, quæ quidem hactenus nunquam spem opinionemque nostram frustrata est.

DISSER-

DISSERTATIO IV.

IN QUA ULTERIÙS AGITATUR QUÆSTIO,

Quatenus ad Humores pravos referendi sint corporis humani Morbi?



APud Medicos usque adeò increbuit morborum ferè omnium caussas ex certa humorum corporis improbitate deducere, ut in morbis explicandis investigandisque, id solùm negotii sibi dari putent, ut in humores istos ignium saliumque operâ subtiliter inquirant. Quum enim partes *solidas* per se immutabiles esse credant, reliquum est, ut, si quæ sunt corporis mutationes, eas in universum humoribus, qui naturà suâ cujusvis ferè caussæ actioni facilè cedunt, acceptas referant. Hinc emanârunt tot tamque variæ de liquoribus theoriæ, tamque inter se pugnantes auctorum sententiæ, ut non sine causa videantur recentiores Medici omnes omnium opiniones, tanquam

quam vagas et incertas, denuò ad incudem velle revocare: quorum adeò laudabili industriâ e medicinæ finibus* jam multas, ut planè inutiles, relegatas esse vidimus, pluresque indies relegandas prospicimus, per interiorem, quæ indies accedit, corporis humani intelligentiam.

In Medicorum disceptationibus nihil est celebrius, quàm ut tumores, fluores, morbosque omnes, qui quidem evacuationibus omninò cedunt, ad humores statim pravos et malignos referant; nempe, quia nescii sint, quomodo liquores aliam atque aliam induere possint formam, nisi vel fermentum aliquod, vel alia quæpiam nova insolensque materies interveniat. Verùm, ut de hac re clariùs certiùsque constituatur, ex familiarissimis maximèque pervagatis corporis humani casibus; postulo, ut mecum velint *vulneris*, quod musculosæ alicui corporis benè sani parti infligitur, ordinem et progressum paulisper expendere.

Primò igitur ex hiantium vasorum osculis pleno rivo profluit sanguis sincerus; deinde, iisdem vi suâ contrahente paulatim conniven-

tibus, liquor tenuior et pallidior, donec tandem omninò coëant, cum levi partis sauciæ inflammatione; quam sequitur mox sanguinis confluentis remora, et ex ea passim febricula, donec vasa dudum contenta denuò se sponte sua remittant, sinantque in communi vulneris alveo deponi liquida, ubi stagnantia, et à calore corporis modice fota, in unam albidam suique similem materiem, quam vulgus *pus* appellat, concrescant. Quod si jam pisum, vel ejusmodi quid in plagæ fauces injiciatur, simulque arceatur aëris contagium, efficitur ut pus illud quamdiu voles fluat; prorsus ut hoc pacto repentè exsistat emergatque nova quædam glandula. Contrà, si vulnus quoquomodo irritatur, nimiùmve comprimitur, liquida ex integro protinus mutabuntur, aliamque speciem ferent, id quod Chirurgi optimè nôrunt.

Hinc sequitur facilius esse nihil, quàm ut corporis secretiones humoresque, sine ulla novæ materiæ vel fermenti accessione, mutatâ solum vasorum secernentium diametro numerove, immutentur.

Fac

Fac nunc inflictum esse vulnus grandius, in quo diu dehiscente peracta sit secretio. Hoc in casu certum est, pro minore renisu, sanguinem majore impetu affluxurum, atque adeo vasa circa vulnus præter modum dilatata rubescere; id enim usus quotidianus et communis comprobat. Atqui sic auctâ horsum sanguinis fluxione, nego posse vulnus repentè glutinari, quin periculum sit, ne in vicinia erumpat tumor, suppuretque: neque id tamen (quod vulgus existimat) ab exsuperantia materiæ dissimilis, quam utique vulnus hians exprimere consuevit, verùm à vasorum ante apertorum jam per inductam cicatricem factâ concretione. His enim concretis, utut ea parvum antehac liquoris modum receperunt, inde tamen magis urgebuntur vasa proxima, quàm si communi sanguinis moli nusquam interruptæ et inhibitæ accederent aliquot liquoris pondo: quod ex Hydraulicis intelligitur, quodque superiori etiam dissertatione prætereuntes attigimus. Quare hic minimè incusandum esse liquidi vel modum vel materiam; sed subitò

 duntaxat

duntaxat variantem ramorum rationem, non variante trunco.

Hinc quoque intelligitur, quare ex plethora, aliâve quâlibet causâ universum corpus afficiente, iis maximè partibus immineat periculum, quæ vel cicatricibus, vel tumoribus induratis, vel obstructis undecunque vasis viciniores sunt; quippe quò summus semper et vehementissimus connitatur impetus.

Item in promptu est, cur ex glutinato parotidum ulcere, oculi sæpe cœcitatis periculo, nec non caput ipsum gravibus objiciatur cruciatibus. Denique cur pulmones semel ulcerati, postea semper, ex quolibet errore, eidem malo, etsi non uno quidem eodemque loco, opportuni fiant: ut et intestina semel labefactata.

Quibus nunc non plura addo, etsi huc spectare videantur problemata, sive medica sive chirurgica; ut ad variantem, quam evolvere, instituimus, ramorum rationem festinemus.

Hujus

Hujus inter effectus, nulli evidentiores reperiuntur, neque *humoristarum* dogmati appositiores, quàm qui ventriculo et intestinis accidere consueverunt. Ea quippe est natura harum partium, ut, si vel minimùm undecunque commoventur, ea se commotio statim prodat nauseâ, anxietate, vomitu, aliisque id genus pathematis manifestis; tum etiam frequens sit, per eum, qui hisce partibus naturaliter intercedit cum visceribus abdominis nexum et consensum. Etenim si per horum aliquod impeditur liberior sanguinis cursus, fit ut omnes circà rami vehementiùs urgeantur, et præter modum contendantur, præsertim vero arteriæ cœliacæ, quæ ad ventriculum adspirant, ejusque tunicam nervosam confertim obsident, propagines: quibus sanè contentis, abesse non potest, quin tunica quoque nervosa, cui eæ adsperguntur, simul intendatur, sensusque ei inhærens acutior erectiorque fiat, (quod etiam vasis cujuscunque generis inflammatis vel distentis accidit), faciliùsque jam quavis de caussa irritetur.

 Atqui

Atqui obstructis undelibet visceribus simul, permoveri perturbarique ventriculum juxta et intestina, non solum ex constantibus hydraulicorum legibus cogitur, sed et ex apertissimis exemplis, quæ plenâ manu congessit Theophilus Bonetus in suo *Sepulchreto Anatomico*, intelligitur. Is enim (quod et ipse aliquando cadavera incidens animadverti) pertinaces sæpe vomitus non aliunde quàm a scirrhis hepatis, pancreatis, aut mesenterii, ortas esse evincit. Quâ quidem re nihil efficacius esse puto ad refellendam malè sanam Humoristarum doctrinam, humoribusque æternum abrogandam tantam tamque variam morborum fœcunditatem, qui quidem ad unum omnes, postquam subjiciuntur explorationi anatomicæ, nulli humorum, sed *solidorum* duntaxat vitio assignandi veniunt.

Sed nostram theoriam præter hæc validissimè confirmant quædam in mulieribus spectanda, quoties earum sanguini denegatur transitus per uteri emunctoria, in *mensium* v. g. suppressione. Tum enim præsto est vomitus,

tus, vel certè nausea, cum manifesta cæterorum abdominis viscerum oppressione, tantoque magis, quanto delicatior est mulier; iterumque à conceptu, ubi omnes ferè mulieres pari de causa paribus laborant affectibus. Enimverò simulatque concepit mulier, os uteri tam arctè compingitur, ut nihil prorsus effluat: unde fit, ut citò impleatur, magnâque vi intrinsecùs in omnes juxta partes prematur, et paulatim distendatur liquoribus per altissimos canaliculos in clausum uteri sinum continenter depluentibus, quorum qui hoc in statu vim et momentum perfectiùs definire cupit, adeat Hydraulicos, aliàs mihi edocendus ab ipsis nunc effectibus, h. e. à jugi et assiduo uteri auctu, qui quidem alii caussæ nulli, quàm liquorum vi ex alto sensim depluentium in uterum cætera clausum, adscribi potest. Jam ex æquabili et uniformi liquoris comprehensi nisu, in omnem undique cellam uteri, cuncta ferè vasorum extrema, quorum ope ab arteriis ad venas profertur circulatio, comprimuntur; sic ut universus fermè *iliacarum internarum* sanguis ad uterum primo

 graviditatis

graviditatis trimestri moretur restitetque, donec tandem ita expandatur et explicetur uterus, ut magna pars sanguinis per eum possit liberè ad placentam simul auctam et fœtum transmitti, eâdemque viâ revehi: tum enim gradatim abeunt et facessunt gravia illa et in vulgus nota symptomata. Neque dubium est, quin, ubi sanguis ad uterum consistit, cuncta vicinitas perinde ac ventriculus redundantis liquidi vim persentiscat. Sed ea est istarum ferè partium conditio, ut non nisi obscura admodum fiant indicia vis iis impressæ, dum levissimo quoque momento commovetur ventriculus, offensionisque suæ manifestissima prodit signa. Neque tamen unus ventriculus, sed præterea mammæ, per arterias scilicet epigastrias, quæ ab iliacis internis proximè propagantur, eandem vim sentiunt: nec non ipsi renes, siquidem primis etiam prægnationis mensibus constet crebriùs mejere fœtas.

Huc facit, quod canum itidem ventriculus

et

et subjecta intestina (quamvis per se valentia, atque eâ re neque ad nauseam, neque vomitum, neque alios id genus affectus proclivia, tamen) ex simili ramorum diminutione quàm gravissimas patiantur molestias; uti ex arteriæ splenicæ ligatura, vel ipsius lienis exstirpatione constat: quas res sequi amant et vomitus, et confertissima murmura, et crebra urinæ missio, et frequens appetentia coitûs. De quibus videsis Cl. Bohnium de lienis usu in *Circulo* suo *Anatomico*.

Repræsentatis jam primis proximisque immutatæ ramorum rationis ad abdomen effectibus, non ab re fuerit in effectus his conjunctos sed remotiores latiùs inquirere. Ubi enim perennis est ea, quam diximus, ramorum conditio, constat inde semper vagos quidem sed perennantes tamen generari morbos; qui, nisi à capite ultimaque origine arcessas providè et sagaciter, dici vix potest quantas tibi turbas dabunt, quàmque tuam simul theoriam pervertent et praxin, non pauciora Medico,

dico, quàm ipsi ægro commovendo somnia, inanesque ingerendo fabulas de portentosa quadam et plusquam humana calamitate. Ex illo quippe, quod ex sanguinis ad ventriculum redundantia proficisci admonuimus, sensûs incremento et acumine, ferre non possunt, qui ex eo laborant malo, vel cibi ordinarii, quamvis lenis facilisque, actionem, quin variè sollicitentur et nauseà frequenti, et vomendi studio, atque adeò vehementi interdum vomitu.

In iis verò quibus perpetua est morbi caussa, ut queis prorsus coaluerunt uteri vasa secernentia, penitùsque defecerunt menses vel quorum viscera scirrho, aliove quo tumore infesta sunt, evenit, ut effecta sicut perennia, ita et graviora in dies existunt, magisque familiaria, quomodo nempe quævis corporis actiones promptiores fiunt usu: præcipuè autem ventriculus evadit irritabilis, cujus ad constringendam faciliùs impellantur fibræ; unde insignes passim suboriri solent tumores.

tumores. Quippè cùm in ventriculo ubique præsto sint spirales, vel orbiculares fibræ musculosæ, quæ, si irritantur, sponte suâ se contrahant, aëremque intus stabulantem intra nodorum spatia coërceant; cujus ea est natura, ut in calente corpore nequeat aliquamdiu in eodem statu et tenore perdurare, quin rarior effusiorque fiat. Quòd si fortè ad ventriculum aut intestina se expandet diffundetque, illicò per abdomen ingentes sese efferunt tumores, et ex iis permolestus plenitudinis sensus. Hoc amplius. Ad gulam pariter, præ perpetua illa, quæ inter ventriculi cardiæque fibras intercedit, necessitudine, ab iisdem caussis frequentes existunt contractiones, et ab intersepto rarefactoque aëre tumores, qui quasi globuli in gutture sentiuntur, sæpiùsque ita premunt laryngem, pharyngi conjunctum, ut suffocationis sit periculum.

Atque ex hujusmodi hinc tensionibus, illinc compressionibus, magnam partem tollitur actionum corporis *consensus* et *harmonia*, prodeuntque subitò spectacula multa abnor-

mia

mia mirèque varia; dum scilicet comprimendo vasa liberum impediunt humorum per certa loca transitum, per alia accelerant, deinde quoquoversum adducendo attrahendoque, partes cohærentes differunt et divellunt, maximè ubi gula, vel ventriculus, vel ipsa intestina tumoribus infestantur. Cùm enim istiusmodi contractiones ventriculum exercent majorem in modem et in tempus longius, is utique adeò inflatur, passimque aëris extenuati seseque diffundentis vim impetumque sentit, ut eâ re æger veluti fasciis quibusdam arctè se constrictum existimet, eodemque tempore ad cordis scrobiculum aversamque dorsi partem peracutos et mordaces patiatur dolores, quorum acerbitate tantùm non exanimetur. Hos ego dolores concitari opinor ab ea vi qua contenduntur adducunturque partes inflato ventriculo proximæ, aut etiam conjunctæ diaphragmati seu septo transverso, quod quidem hoc in statu summâ vi versus anhelantis pectoris sinum propellitur: tum enim verisimile est maximè sentiri dolorem quâ parte stomachus septum illud perforat, te-

nellisque

nellisque fibris cum eo continetur, quâque rursus per processus suos idem septum ad lumbos adhærescit, atque adeò per totum ipsius ambitum, quà cum costis nothis connectitur, tametsi isthic loci minùs leviùsque percipiatur quàm ad lumbos, quò summa vergit conspiratque vis illi impressa à ventriculo. Quòd autem ex inflato ventriculo et intestinis sursum adigatur diaphragma, id certè cogunt * exempla, quibus docemur hac ipsa de caussa aliquando diruptum dissiluisse septum, eâque portâ in thoracis sinum intromissa esse ipsa subjacentis abdominis viscera. Quanto verò cum angore, quàmque immani id cruciatu factum sit, nemini certè homini obscurum esse potest.

Sed ut ampliùs consectemur eos qui intestinis accidunt ex valida contractione tumores, juvat in primis id genus circumspicere, quod Medicorum vulgus uno ore, (at, si quid video, temerè), arcessit à migratione quâdam

* Vid. Philos. Transact. N. 351. P. 580 relationem magistri St. André.

quâdam subitâ et translatione uteri ad superiora loca, quo in casu locorum vitio laborantes fœminæ tumores, tanquam majoris molis glomera, modò ad hoc, modò ad illud latus volutantia, percipiunt tam argutè, ut ab ipsa etiam laterum discessione continuò sibi metuant.

Atqui nôrunt omnes quàm pusilla res sit adhuc integer intemeratusque puellarum uterus, quibus tamen maximè incidit hoc malum, quàmque multùm absit ut compacta densaque ejus loci camera derepentè in majorem molem nescio quo halitu infletur, nedum ut à sede sua propria, i. e. pelvi, ad hypochondria de facili tota migret. Quare haud satis puto bonos illos ad genuinam corporis structuram suam adaptâsse theoriam.

Præterea, ex remediis huic malo subvenientibus apparet, tumores hos aliud esse nihil quàm intestinorum spasmos, quum huc adhibeantur ejus tantùm generis remedia, quæ in aliis casibus planè convulsivis auxilio esse

solent,

solent, nimirùm *volatilia*, subitòque ad tempus stimulantia, quæ, quia vicinas partes vellicant, eâ re novas ad varia simul loca contractiones efficiunt, urgendoque spatia interclusa priores illas et pertinaciores dissolvunt, contractiones, contrariâque vi nunc ructu nunc crepitu aërem displodunt, unde ad se brevi redeant ægræ. Scio equidem multos qui de abstrusioribus medicamentorum viribus doctè garriunt, remedia huc valentia pro anodynis habere, quæ soporiferâ quâdam vi spiritus animales tunc temporis effervescentes, vel nescio quid tumultuantes, pacant et componunt. Verùm perinde ementita sunt gratisque conficta quæ isti de spiritibus consopitis, et de remediis consopientibus, venditant. Verùm contra eos, qui ejusmodi, sive laterum, sive gulæ, tumores extraordinario spirituum ab utero infractorum occursui adscribunt, certissimum habeo hoc unum argumentum, quod viri non secus ac fœminæ ejusdem generis flatibus tententur; etsi id quidem rariùs: primùm quòd fœminarum longè debilior sit corporis constitutio: deinde quòd

quòd ab vitiis uteri (quod instrumentum est fœminarum proprium) quàm à cæteris visceribus omnibus frequentiùs offendatur fistula alimentaria.

Ut magis intelligantur alia quoque symptomata, quæ tales ægros comitari, eosque miris modis accipere consueverunt, effectum dabimus brevi, ubi de medicamentorum stimulantium viribus, ab instestinis usque ad loca remotissima pertinentibus, dicere ingrediemur. Tametsi enim hæc symptomata neutiquam referenda censeo ad accessionem ullius rei insigniter stimulantis, paria tamen omninò sunt cum iis quæ à stimulo quovis insigni erumpunt in corpus sanum. Eadem quippe est irritatio, similisque planè effectus, sive irritationem acceptam referas aculeato alicui stimulo, sive adaucto fibrarum sensui, qui quidem tum ab ipsorum vasorum nimia distensione, tum ab eorum nuditate, per absentiam inopiamve oblinientis muci (quâ nihil frequentius est) emanare potest. Neque enim memoriâ indignum esse reor, hanc fibrarum

brarum nuditatem necessariò confici ex qualibet extraordinaria ventriculi aut intestinorum irritatione; sive ea debeatur accedenti stimulo, sive vasorum ipsorum nimiæ contentioni. Ex omni namque irritatione copiosiùs ad loca affecta sollicitantur secretiones: ea verò est natura muci, ut, si deest temporis spatium, non spissescat, neque ad fibras adhærescat, sed dilapsus effluensque eas, quas munire debuit, destituat fibras.

Jam in muco considerando eò longiores sumus, quòd hujus non absentiæ, sed actioni potius inimicæ multi falsò assignârint ea quæ suscepimus explicare symptomata: neque id solum nominatim ad viam alimentariam, sed et generatim ad quascunque corporis partes. Fistula v. g. urinæ, seu *urethra*, si fortè, uti sæpe fit, vellicatur et offenditur, illi non dubitant urinæ tum novum aliquem accessisse acritudinis asperitatisque gradum; tametsi interim omnes fateantur, urinam per se satis esse acrem ad exasperandas urethræ fibras, si modo ad eas omni exspoliatas muco aditum

habeat: quod experietur sanè apud se quisquis inter mejendem manu colem premet; quo facto urina eâ vi incessit adducta propiùs urethræ latera, ut linimentum iis adhærens eluat, foras efferat, deinde viduatas fibras pungat fodicetque sensibiliter. Neque quenquam esse puto hominem, quin aliquando insignem harum partium vellicationem senserit ex qualibet incidente magnâ agitatione, quâ mucus attenuatus festinantiùs efferatur. De hoc autem urethræ muco juxta et vasis eum secernentibus, pluribus agit Morgagnius in *Adversariis* suis: similemque mucum cunctis adhærere corporis cavitatibus assiduæ attritioni obnoxiis, inter omnes jam convenit Anatomicos; nullibi autem exploratiùs quàm in ductu alimentario, ubi in firmioribus circum delicata vasorum extrema (quæ Ruyschius eâ re passim *succosa* nuncupat) lentescit, eaque quasi quodam tectorio incrustat. In firmioribus autem aio, quia in aliis plurimùm varièque differt, proque sua diversitate diversas quoque inducit hominum temperationes. Id quod adeò persuasum habuit

rei

rei anatomicæ scientissimus Wepferus, ut existimârit huc posse acceptum referri, quòd una eademque res alteris veneno alteris nutrimento sit: quodque alii cujuscunque generis cibos facilè ferant, dum alii à dulcibus, acidis, atque adeo rebus etiam inertissmis, facili negotio offenduntur. Hoc certè vulgo notum est, infantium, eorumque quos diuturni exagitârunt morbi, qûique inusto seminis vitio à primis usque unguiculis debiles fuere, ventriculum præcipue imbecillum esse et maximè irritabilem; quanquam interea tantum abest, ut horum præ aliis acriores, sint humores, ut et saliva in his dulcissima, et bilis vix amara sit.

Ratum itaque et fixum esto in horum hominum humores malè derivari culpam ventriculi difficilis et morosi, quæ unicè debetur illi quam dudum diximus partium *nuditati;* præsertim cùm ventriculum ita affectum haud rarò excipiat urethræ vellicatio, urinâ interim, si degustes, nullam præter modum acritudinem præferente.

Hinc expromitur, Primò, cur hujus generis valetudinarii vulgo *Phlegmatici* et *Pituitosi* audiant: quippe quibus non solùm ad ventriculum et fistulam urinariam, sed et ad nares et fauces, passimque alibi magnâ copiâ effluat lentus ille humor, quem in robustis residere et hærere diximus ad munimentum præsidiumque partium.

Deinde, cur veteres, ratione temperamenti, universi generis humani penè quadrantem Phlegmaticorum nomine complexi sint; nimirùm propter celebrem hujus sortis hominum frequentiam: quibus etiam accenseri consuevit toto ferè debilium et fractiorum turba.

Postremò, veteres, tametsi merito observârunt Phlegmaticos illos suos multis variisque exponi valetudinibus, eas tamen ipsas perperam attribuisse sive acrimoniæ sive tenacitati phlegmatis, quæ pro genuina causa unam habeant partium à defendente muco nuditatem;

tem; unde eadem planè atque à stimulo dimanent symptomata, quemadmodum suprà exposuimus.

Ad Levenhœkii * autem sententiam quod attinet, qui quidem negat ullum in ventriculo et intestinis inesse mucum, cujus speciem tantùm et simulacrum præ se ferant fibræ musculosæ ventriculi rugis intertextæ; neminem ejus præjudicio fretum, nobiscum dissensurum spero, qui animadvertet, quàm ille confusè et inconstanter edat experimenta, quibus sententiam suam singularem instruere parat. Credo equidem illum conspicillorum ope fibrosas fortè partes adspexisse, dum mucum abrasum exploraret; sed quum in muco separando nullo usus sit apparatu idoneo, verendum est, ne viro bono fraudi fuerit instrumentum, quo unà cum muco temere abrasa fuerint vasorum ei substratorum extrema, quando ea quidem vasa adeò sunt isthic tenera et mollia, ut ea Ruyschius proinde semper *succosa* nominet.

* Vid. Epist. ejus ad Cl. Aston de muco intestinali.

Ad indagandum igitur certiùsque exquirendum ventriculi mucum, ego quoque canem vegetum integrumque aliquando letho dedi, in cujus quidem ventriculo principiò nihil usquam muci deprehendere potui : cavitatem tantùm summis digitis leviter apprehensam lubricam offendi et valde unguinosam : postquam verò eam aquâ calidiore perfusam aliquamdiu confovissem, tandem in fibrarum spatiis delitescentem mucum perquam spissum animadverti, quem utique calor abstersum eversumque è vasorum faucibus, lacunis et interstitiis elicuerat. Sed qui super hac re plura desiderat, adeat industrium Wepferum de *Cicut. aquat. cap. viii.* dum ego me ad alia confero.

Quandam, uti commonuimus, satis irritabilis sensibilisque est cuncta interior ventriculi superficies, præ cæteris tamen ejus partibus exquisitiore sensu pollet *cardia* seu *stomachus*, cujus ea sors est et conditio, ut primam principemque ingestorum vim et impetum excipiat, potissimè verò, si fortè est paulò arctior

tior et rigidior. De omnibus autem assumptis nulla huic parti nocent magis quàm calida; ut quæ linimentum maximè deterant, eâque re ipsas fibras, jam inermes et destitutas, offensioni vel levissimæ exponant: præcipuè si quæ assumuntur res sint saponacei generis, qualis est puls avenacea, quam etiamnum ferventem exsorbere solet rusticorum vulgus: quo certè hominum genere, tametsi aliàs robusto, nulli magis affictantur dolore cardiæ: quibus hoc nomine liceat nunc cum bona sexûs venia sociare bellas delicatasque hujus ævi fœminas, quæ, quod decoctum theæ fervidissimum assiduè pitissant, idem sibi malum arcessant ultrò.

Quoniam verò cardiæ dolor, ubi negligitur, pertinacissima aliquando et funesta secum trahit mala, ideò non gravabor in eo enarrando latiùs excurrere, præsertim quando humores in ventriculo stabulantes pro hujus mali fonte malè assignentur. Sic autem hunc, opinor, morbum optimè investigabimus, si guttatim deglutiatur validus vini spiritus, de-

 inde

inde sedulò observetur ejusdem ordine procedentis vis et effectus. Nam simul atque is pertingit ad cordis scrobiculum, eadem existit et percipitur vellicatio, quæ tenero accidit oculo, cui idem est infusus injectusque spiritus: utque hinc ex oculo exprimuntur lacrymæ, sic illinc aqua limpida ore tenus affluit: quo sanè experimento declaratur ipsa cardiæ infirmitas. Quamvis autem à spiritûs transitu statim residet desinitque dolor; tamen si postea vehementiùs jactatur æger, equo putà, vel citatis invehens quadrigis, liquor inde protinùs ex succussu continuo versus cardiam repercutitur, singulisque succussibus repetit dolor.

Hinc emergit, ex quolibet succussu gravi cardiacis proclivem esse morbi sui accessionem, tametsi neque hauserint vel vini spiritum vel alium quemcunque liquorem acrem: propterea quòd ventriculus rarò destituatur vel bile, vel aliûs generis acri materiâ, quibus per se ægra et infirma cardia identidem compungatur: perperam tamen hinc inferri causam

sam morbi esse hanc materiam acrem, cum omnibus ea insit ventriculis, dum ii tantùm inde condolent, quibus est cardia linimenti expers, aliàsve debilis et infracta. Fateor equidem, pulvere testaceo extempore relevari istas cardiæ punctiones; ast id ex acidi humoris castigatione fieri, quod multis arridet plurimùm, etiam atque etiam pernego. Unde ergo, inquies? nempè quod infestas obnoxiasque cardiæ fibras crustulæ cujusdam præsidio communiat ille pulvis accidens, ad molestiam quidem parumper distinendam comparatus, ad penitùs profligandam iners.

Quando verò ingravescit morbus, tum sanè non modò existit illa frequens, quam commemoravi, ad cardiam punctio, verùm etiam atrox et immanis ventriculi totius tensio, cujus ea est natura, ut nusquam vehementer exasperetur, quin pylorus statim arctè constringatur: id quod in vomitu videre est. Quamobrem, si ad cardiam fit gravior irritatio, utrinque occludetur ventriculus: unde paria planè atque ea quæ nuper ab aëre intercluso proficisci

proficisci diximus incommoda, nunc quoque se effundere necesse est; eaque tanto diriora, si fortè ab inflammatione vel ulcere propter cardiam oritur irritatio, quæ tum vix ullas misero concedit aut pascitur inducias. Quoties enim urget ulcus vel inflammatio pertinax, putà ex vasorum conjunctorum obstipatione, adeò exardescit furitque morbus, ut eò agitatis interdicat vel lenissima omniumque simplicissima cibi potionisque genera; utque tandem desperatorum mens, in corporis sibi conjugati ærumnam assiduè incumbens, indeque jugi perculsa metu, tristitiâ, vigiliâ et ploratu flebili, posthabitâ assistentium consolatione, ab omni prorsus vitæ usu humanaque consuetudine transeat in vecordiam.

Quo autem morbum tam atrocem penitiùs intueamur, exemplum subjiciam ægri mihi undequaque perspecti.

Georgius Low, homo labore duro victum tolerans, annos quinquaginta natus, malum mihi suum aliquando expositurus, affligi se ait

mirâ

mirâ quâdam angustiâ et assiduâ repletionis sensu ad sinistrum hypochondrium, cum acutissimo dolore ad cordis scrobiculum aversamque dorsi partem, vagis item plurimis, modò ad scapulas, modò ad costas, utrinque excurrentibus doloribus: denique vento se ita plenum esse, ut sibi à ruptione metuat: itaque levamenti causâ sæpe, at plerumque inaniter, de salutari ructu laborare. His dictis, miser, amentis ritu, pronum se abjicit in lectum, cujus omnem supellectilem properè congestam substernit hypochondriis, deinde quantum potest contrà nititur: mox impatiens lecti consurgit, igni assidet, fascias excalfactas lateribus opponendas postulat. Annuitur. At nullo id fructu; donec tandem colluctando fessus et semianimis unum itemque alterum ructum exprimens, aliquantulum ad se redit. Ibi miserabiliter et ubertim (ut moris erat) plorans, fatum incusat suum, mortemque citam vitæ tristi et illætabili præoptans, ne latum unguem cedit amicorum precibus aut medici alloquiis, sed oculis humi fixis mœrorem usque servat obstinatum. Quoties ad illum

illum viso, perinde animo fractum et despondentem offendo; neque id miror, postquam audio hominem vix unquam quicquam seu liquidi seu solidi posse degustare, citra ferum accessionis impetum. Hîc igitur quæro primùm, an ipsum ingressum morbi clarè observâsset? Cui ille, hæc inquit; mala longo intervallo pedetentim sensi increscere; at unde primùm cœperint tam tetra et tam gravia, præstare utique nolo, nisi fortè, quod diu multumque insedit animo, ex onere importuno, inquit, improboque hoc quicquid est contraxi malum; cujus olim infortunii recens adhuc viget memoria. Secundum ea quæro, quo sapore essent ejus ructus? Non sunt illi quidem, inquit, uniusmodi; sæpiùs tam acidi, adeoque acres, ut gulam planè lacerent lanientque. (Utrum verò hæc ægri opinio, sensusque lacerationis, ab summa erumpentis flatûs acrimonia, an potiùs ab ipsa gula jamdudum lacerata promanârit, brevi excutiam). Adhæc nullam sibi esse à cruciatu respirationem, nisi vacuo ventriculo. Tum fluente alvo semper meliusculè

liusculè se habere ; itemque ex mutato cibi genere, tametsi nullum genus supra triduum satis conveniret. Ad hanc ipsius ægri relationem adjiciam ea quæ ordine consecuta sunt. Non ita multò post hominem invasit vomitus sanguinis, unde iteratum animi deliquium : sanguis autem ille magna ex parte concretus, seroque multo innatans speciem referebat fragmentorum hepatis. Post illa totus alget : mox dirum à gutture murmur sensim ad intestina serpit, quale moribundis adesse solet. Ibi conclamari cœptum est. At ille nihilo seciùs ex instillato in os iners vini rubelii tepidi cochleario lumina recludit, mox fari cœpit, et oblatum sugere vinum, quod postea ei bibendum præscripsimus cum pari portione aquæ ferratæ, et boli Armeniaci aliquantulo. Unde restitutus æger paulò meliùs se ad paucas hebdomadas habuit, donec pristina reverterunt contumacis morbi indicia ; quibus ille, repudiato omni auxilio, ad anni fermè spatium conflictatus est miserè. Ad postremum audio hominem atra et exusta dejicere magnâ

copiâ,

copiâ, et secundum istam dejectionem postridie fatis cedere.

Hîc ego demortui corpus, impetratâ veniâ, quo mihi de morbo hactenus ignoto, quoad fieri poterat, investigando satisfacerem, scalpello incidere ingressus sum : quo facto, omnem intestinorum tractum, nec non ventriculum, coagulato sanguine inculcatum refertumque comperio ; et propter cardiam tubera scirrhosa glabra, præter naturæ modum contenta : item infra cardiam ad latum ferè unguem versus dextrum latus, quâ parte extrinsecus spectat hepar, insignitum tuber mole pugni, compage durâ et uniusmodi, colore subflavo, ex ventriculi exteriori tunicâ fortè ulceratâ enascens, vicinique hepatis fibram adeo premens, ut etiam non adhærens eam inflammaret et purulentam redderet. Vasa rupta nusquam deprehendo, quæ idcirco inter tuberum eminentias propter cardiam latuisse suspicor, quando eò usque tractum sanguinis ordine persecutus sum. Ne plura, per totum

totum abdominis spatium prætereà nihil alienum reperio.

Quamvis semel tantùm mihi fas fuit scalpelli ductu perscrutari abditam et latentem hujus morbi causam, sæpe tamen in ejusdem generis ægros incidi, queis omnibus (paucas si excipias vagas) pares adfuerunt notæ; præcipuè frequens sanguinis coacti et adusti vomitus, et ex eo perennis obstinatusque morbus. Tametsi enim aliquando morbi vis in aliquo, et menses sua sponte remittere, atque misero nonnullam respirationem otiumque largiri videretur, tamen ex quacunque corporis fatigatione, vel morbi asperioris, qualis est *renum calculus*, accessione, vel in fœminis graviditate, vel etiam cibi potionisve actuosioris assumptione eadem semper recursabant signa. Adeò ut quos semel pervasisset hoc morbi genus, deinceps miseri fierent et inertes, geniumque defraudantes suum, siccâ et enectâ vitâ contenti viverent. Hinc illa, quam suprà commemoravi, horum hominum vecordia; hinc pueriles

riles lacrymæ, et humanæ omnis consuetudinis intermissio: quæ dum attentiùs mecum revolvo, planè mihi ad animum revocant suggeruntque illam melancholiæ speciem, quam veteres appellârunt *flatuosam*, et ὑποχονδριακὴν, (cujus extat notatio apud Lommium, 2*do Obs. libro*); si tamen concedatur, quod omninò concedendum existimo, adustam illam atram antiquorum bilem, quam illi sæpe vomitu redditum esse prodiderunt, aliud fuisse nihil quàm concretum sanguinem.

Neque instituto alienum esse puto, si paucis nunc aperiam, cur lieni hepatique præcipuè tribuatur sedes atræ bilis. Scire ergo oportet, præ cæteris corporis partibus lienem raró ab inflammatione suppurare; sed ex perruptis ejus vasis liquores foràs missos commisceri, inque atram spissamque substantiam liquidæ picis æmulam vice puris digeri. Cujus rei documentum mihi nuper præbuit inspectio cadaveris cujusdam hominis, dum viveret, hepatis lienisque obstructionibus, cum gravissima ventriculi offensione, talibusque contrac-

tionibus,

tionibus, quales ab vicinorum viscerum oppilatione oriri suprà diximus, multùm diuque fatigati. Nam hujus lienem, a figura teretem, à colore admodum atrum, à superficie undique lævem et splendentem, comperi: adactoque intrò scalpello, continuò obviam prodit sibilus; deinde materia simillima picis liquidæ: mox collapsa latera in pertenuem abiêrunt pelliculam, nullo uspiam comparente puris vestigio.

Unde colligo, ut cæteras vitiatas corporis partes sequitur pus, ita corruptum lienem naturâ sequi atram hanc materiam. Quod ipsum quoque à Democrito ejusque æqualibus sæpenumero animadversum esse, nullus dubito; quando hujus rei maximè perquirendæ causâ animum adjecerint ad cadavera evolvenda: deinde quum ex vivo hominis corpore vomitu rejectam fortè animadverterent materiam, alteri, quam præbuissent incisa mortuorum cadavera, similem, paresque utriusque notas; idcircò creditum à liene in ventriculum occulto quodam itinere derivatam esse

materiam sic egestam. Quam opinionem, præcipiti conjecturâ nixam, ut illis rudioribus condonemus temporibus; at quî in mentem veniat nonnullis etiam horum temporum Medicis de tam incomperta et precaria atræ bilis à liene ad ventriculum profectione, veluti de industria disserendi, satis mirari nequeo. Nos enim, quæ qualisque sit materies tunc rejecta vomitu, ita, ni fallor, aperuimus, ut non ampliùs necesse habeant anatomici, ad hunc saltem dissolvendum nodum, duram et inutilem ponere operam, in canali pervestigando, qui nullus est à liene pertinens ad ventriculum.

Contra, cur iidem veteres eandem bilem atram subinde retulerint ad jecur, data est mihi nuper ex alterius cadaveris inspectione non obscura hariolandi ansa. Nam in viri, viginti quatuor non ampliùs annos nati, longâ tabe tandem resoluti, vesicâ felleâ multum inveni materiæ nigræ, aut veriùs subnigræ, nec undequâque sui similis, at germanâ bilis flavedine prorsum fraudatæ, tum adeò spissæ, ut premente digito vix posset è vesica pelli in *ductum cysticum*; tametsi

tametsi is adeò patebat, ut stilum majusculum non ægrè caperet. Hanc ego bilem, etsi à vulgari integrorum bile longè distantem, tamen pro morbi, ex quo æger interiit, effectu potiùs quàm causa habendam censui; bilisque hujus speciem alienam evenisse ex diuturna solùm ipsius mora in vesica. Enimverò solidum annum domi desederat miser, plerùmque affixus lecto: tum extremis aliquam multis vitæ diebus nihil prorsus gustaverat præter aquæ frigidæ alias post alias destillantes guttulas, præ intolerabili molestia, quam ei præbebat aliud quodcunque alimenti genus. Porrò, ut caveret lancinantes pectoris dolores, eòusque respirandi impetum suspendere moderarique solebat, ut spiritu trahendo vix ullum abdominis viscus ullatenus commoveretur; quâ tamen causâ ferè solâ pendet continuus bilis ad intestina motus. Quare necesse fuit ut bilis, et cessans, et æstuantis corporis calori subjecta, in adustam quandam et fuliginosam materiem concresceret.

Sic mihi non ineptè occultam jamdudum atræ bilis hepaticæ, à veteribus tantùm decantatæ, originem eruisse videor. Quamobrem secundum hasce tres, quas in medium jam adduximus, historias, omnibus deinceps suspectum esse debet, quŏd in diversis casibus diversus quoque humor atræ bilis nomen usurpaverit; omniumque maximè sanguis extra vasa sua elapsus, et in primis, quas vocamus, viis adustus; quum is tamen propriè morbi sit non causa princeps, sed effectus et accessio, quemadmodum suprà de liquoribus, quâ in liene, quâ in jecinore repertis pronunciavimus; quorum ille ad ventriculum nunquam, hic, nisi instaurato demum ægro, ad intestina traduci non potest. Ideòque nullo tempore locove atram quam vocant bilem egere opis medicæ, extra institutam et professam genuini principisque morbi curationem.

Antequam huic capiti de morbo hypochondriaco finem imponamus, subjungenda censeo quæ habet perpetuus ille et sincerus veterum cultor Lommius, de loco præcipuè affecto in hoc

valetudinis

valetudinis genere. "Est id malum," inquit, "affecti jecinoris, magisque lienis, soboles, "modò cum lienis tumore, modò sine illo: "neque solùm lienis, sed etiam mesenterii." Unde palam est antiquos hujus morbi originem, ex plurium abdominis viscerum vitio dependentem, non assecutos esse absque diligenti cadaverum inspectione. Quam ego meherclè illorum diligentiam, neque per se amœnam, neque, ante repertum ab Harveo nostro sanguinis orbem, variosque deinceps ab aliis in lucem protractos corporis partium inter se nexus, satis aptam Medicorum usibus, nunquam satis mirari possum: quando post illa tantum adhuc recentia inventa datum sit morbos à prima usque radice per varios et stupendos cujusque gradus persequi, dum illi interea in orbem ambulant, contagioque suo cunctas penè corporis partes vicissim quatefaciunt: id quod palam cernere est in omnibus morbis inveteratis; quibus assiduè incumbentibus, singularum partium vires aliæ aliàs fatiscunt, indiesque novum emergit ma-

lum; idque novo præditum vultu, pro natura partis ultimùm affectæ.

Hujus rei dilucida emicant exempla in iis qui præ manibus sunt morbis: quandoquidem ex continua magnaque ventriculi tensione (cuicunque demum ea debeatur caussæ) ad extremum totus ventriculus impendiò debilitetur, cibique retundatur appetentia non sine fastidio: inde per inediam suo corpus defraudetur dimenso, vasaque per liquorum penuriam collabantur, relaxentur musculi, fibrarum pereat robur, deficiant vires, hebescant artus, segniter micent venæ: obtorpescant stupeantque spiritus: ne plura, universum corpus occupet obtusa quædam gravitas et inertia; atque ex eo deplorato corporis habitu tumoribus pustulisque omne genus immanis permittatur grassandi licentia et potestas; propterea quòd in vasorum extremis nunc languentibus facilè stagnent liquida, quæ sacculos sibi fingant prominulos, loculosque tumulosos, qui quidem semel facti postea nunquam ita complanari, inque ordinem cogi possunt, quin facilis sit eorundem

dem

dem et proclivis renovatio, propter infractum scilicet et emarcidum jam fibrarum vigorem.

Consimilis planè corporis habitudo longis succedit febribus, largioribus item nimiumque exaggeratis invitationibus, si subitò abrumpuntur; denique ciborum, seu sale seu fumo duratorum, acrium et pungentium, aut si quæ his affinia sunt, quotidiano usui. Palam quippè est agentibus his caussis sanguinem rarescere, eâque re intendi singula corporis vasa; deinde feriantibus iisdem caussis, concidere et segnescere. Quum verò infinita sint vasa, diametris, anfractibus, divaricationibus, aliisque multis modis (de quibus adi Ruyschium) inter se distantia, quæ novos subinde vultus dent humoribus; quumque ea simul magna ex parte fiant inertia: utique necesse est ut varii qui in iis hospitantur humores, recedant à genuina forma sua, quippè quæ tota pendeat à vasorum complectentium alacritate.

Hinc iterum patet, ut in aliis, sic in his quoque morbis, pro caussa principe immeritò

traduci damnarique improbos corruptosque corporis humores.

Ponamus jam, in hoc infracto prostratoque corporis statu, à medicamento quopiam aculeato, vel ab alia quavis caussa, ingentem subitò concitari motum, cujus impetus ad ipsa vasorum collapsorum extrema pertineat. Omninò consequetur alienata isthic liquida, et tantùm non stagnantia, ex vasorum faucibus in summa corporis exturbatum iri foras, ubi mox pustulas edent et exanthemata: id quo ex usu fontium salsorum, sulphuratorum, aut ipsius simpliciter sulphuris, hisce ægris accidit perfamiliariter.

Sed et alia sunt prætereà, cum morbis vetustis conjuncta mala multa, non ignota iis qui ex germana ipsius corporis structura morbos deducere callent, quæ nimis longum esset nostroque proposito alienum, nominatim recensere.

Ex iis verò quæ jam in medium proposui-

mus

mus liquet, morbos diuturnos, quamlibet à diversa origine natos, ad extremum tamen inter se plerùmque esse similes: quod cùm multos fugeret, innumeris penè erroribus ansam dedit. Ubi enim ab ægris jam aliquot morbi sui stadia perfunctis advocantur Medici, illi quidem satis plerùmque habent intueri signa tum maximè obvia in medioque posita, atque ex iis solis notionem morbi sibi effingere. At sic pol illi multos diversæ indolis morbos incauti et inopinantes confundunt. Id quod assiduè faciunt multi, vagarum certè et nunquam satis descriptarum vocum *Cachexiæ* et *Scorbuti* quasi scuto protecti. Quamdiu verò eâ supinitate et oscitantiâ hos tractant morbos, tamdiu sanè à recta medendi via et ratione, toto, quod aiunt, cœlo abeunt: quò, si quid video, nunquam devenietur, nisi antè instituatur curiosa et severa proprii principisque morbi indagatio; cujus ubi primam radicem patefecerint, mox providendum erit, sedulòque circumspiciendum, quænam à prima illa radice pullulaverint affectiones, quæve seorsum subsistant, radice quâdam innixæ no-

vâ

vâ et adscititiâ: ut ex præcepto Hippocratis, (cui accedit Celsus), "Medicinam faciant Me-"dici intuentes et communia et propria, his-"trionibus verò circulantibus relinquant cu-"randos morbos penitùs ignotos."

Sed ad ea nunc me confero quæ ventriculum è longinquo turbant et infestant: in quibus se primùm offerunt vehementes illæ stomachi intemperiæ, animique defectiones, sive ex contusione *calvæ*, sive ex missione sanguinis, vulgo insidentes: quas quidem licet intricatas et admirabiles non tamen à variante humorum qualitate dependere censeo, cùm eæ corporibus etiam saluberrimis eveniant ex merâ vel liquorum ad certa loca deminutione, vel ex compressione cerebri. Unde conjicio oriri hoc quicquid est mali, non quidem ab humorum nova qualitate, sed à novo potiùs et insolenti quodam eorundem incursu; ne multa nunc de re nimisdum incompertâ loquar. At vim modumque aculeorum quibus exercetur ventriculus, non modò ubi eum per se tentant cominùs, sed

aliàs

aliàs etiam eminùs feriunt, dum ipsi inter viscera abdominis delitescunt, quia certissimis convincitur documentis fidenter explicare aggredior. Si renes, *v. g.* vel calculo vel arenâ illabente tentantur, ecce tibi continuò ad gulam nausea, tremula et retroflexa labia, luminum caligo, salivæ profusio, denique turbulentus vomitus, corporisque totius horror. Enimverò ut hæc longè latèque fusa signa satis sint abstrusa et recondita, inter Medicos tamen convenit unicam horum omnium caussam esse *stimulum*, cui nullum adjunctum sit humorum corporis vitium. Et quisquam dubitabit? quando calculosi modò nihil mali suspicantes, ut primùm ista superveniunt, statim de lumborum tormento conquerantur, planèque sentiant perpetuum calculi progressum à renibus ad vesicam; deinde dolere desinant, postquam eò pervenerit. Quid? quòd reperti etiam aliquando fuerint calculi in vesica fellea et meatu choledocho, qui ventriculum perinde commoverunt. Cujus rei bina exempla profert industrius Bonetus in suo *Sepulchreto anatomico*: idemque sine

dubio

dubio facerent calculi in aliis quoque corporis visceribus concreti, si essent : ut quibus universis ejusdem nominis originisque nervus subserviat, cujus nervi cum propagine sua, quæ ad ventriculum pertinet, necessitudo et consensus pro horum effectuum caussa non immeritò habetur. Quamobrem in obscuriori vomitu non tam cogitare convenit humorum pravitatem, quàm latentem alicubi suspicari calculum.

Fatendum tamen est frequentiùs perturbari ventriculum, afficique intestina, à præsentibus quàm à longinquis stimulis : quanquam ne id quidem tam familiariter quàm nonnulli arbitrantur ; uti patebit quum ex iis quæ nos suprà de ementito pituitæ stimulo, tum ex iis quæ alii disputârunt de conflictibus, præliisque, falsò adscribi solitis naturali cuidam odio, et perpetuis inter se inimicitiis, bilis, et succi pancreatici.

Quamvis autem mites sint liquores ferè omnes à natura in his locis depositi, fatendum

dum tamen est unum omnium liquorum hic acerrimum (quod vel ipso gustu declaratur), nempe bilem, secerni: quæ quidem, si ita abundat, ut cæterorum, quibuscum commisceri diluique consuevit, liquorum excedat modum, non parva importare queat damna, aliàs satis corpori commoda et benigna. Quantùm verò unius ab alterius hominis bile bilis differat, ipsis aspicientium oculis demonstrat utriusque vomitus inter se collatus. Etenim in his prima quæque ventriculi exoneratio promit spissam, colore saturo, acrique sapore bilem, mox tenuiorem, pallidioremque, donec tandem exolescat; in illis verò prima evacuatio ab omni bile vacat, ut ne tantillum quidem ejus appareat, nisi fortè post iteratum vomendi impetum paulum aliquid, sive ex duodeno, sive ex jecinore ipso, usque ad fauces provocetur foràs, unde constat aliis in ventriculo rarò adesse bilem, aliis ferè nunquam abesse: qui idcircò non injuriâ *Biliosi* vulgò nuncupantur. Horum ego indicia, stimulorum aliûs generis indiciis affinia, planèque gemina esse comperi: in quibus eminent

crebra

crebra oscitatio, jejuni stomachi suctus quidam et latratus, ad cibum identidem sumendum cohortans, frequens cardiæ æstus et vellicatio, totius ventriculi inflatio et anxietas; quibus accedit capitis gravitas, animique defectus, ne plura nunc adjuncta dira congeram, quæ ordine subjiciet sequens historia.

Vir quidam ingenuus annos habens plus minus quadraginta, literis deditus, siccus et sobrius, vultu renidens hilarique fronte, collo brevi, cætero corporis habitu firmo et valente, diu multumque laborabat è gravi ventriculi juxta et capitis dolore; quem tamen dolorem vomitus extemplò profligabat, utpote cujus operâ se expediebat multâ bile saturâ; aliàs, si vomitum intermitteret, perpetuis, de quibus dixi, doloribus discruciatus: quos postea exceperunt dolores qui à colo nomen habent, interdiu quidem infesti satis, vespere autem ita remittentes, ut somnum permitterent satis securum ad mediam usque noctem: quâ tempestate qui tum præsentes assistebant, comprererunt hominem atroce quodam et repentino

tino perculsum malo; primùm anhelantem flebiliter, tum prostratis viribus attonitum, mox totâ dexteriore plagâ à capite ad calcem resolutum: inde aliquot dies veternosum jacere et anhelum, clausis luminibus, et ad amicorum verba surdum.

Secundum hæc adhibitis quibusdam remediis parumper ad se redit, indiesque vires suas nuper amissas ita receperunt membra, ut interjecto anni spatio, et pedibus ingrederetur, et linguâ proferret verba, sed tarda et intercisa. Hoc toto tempore, provocata vomitu subinde effundebat sese pura putà bilis; quam proinde pro capite, aut certè alumno morbi suspectam habuere alii; dum ego me parumper sustineo. Quid enim facerem in re difficili, ubi nondum ulla satis idonea mihi suppetebat caussa, quamobrem ad loca tam remota ederentur signa tam fera et abnormia? Ast id me sæpe in animo versantem postea docuit eventus tristis.

Nam

Nam postquam ille vires aliquantùm receptas usurpare cœpit, iterùm eheu incidit in gravissimos coli dolores, qui tamen medicamentis purgantibus ad tempus non inviti cesserunt. Inde ad mensem et semissem, caprini lactis sero assuevit æger, tanto cum successu, ut interea temporis esset ab omni tentatione liber; quin et tantundem postea integer perduraret, nullo adjutus artis salutaris auxilio. Post id tempus, loco dolorum coli, subitò revertit summa ventriculi molestia, cui se adjunxerunt comites infaustos et luminum caligo, et aurium sonitus, et capitis vertigo tenebricosa. Ad extremum prosternitur, brachia sine voluntate jactans: nihilò seciùs tamen brevì animum colligit, tanquam è sopore evigilans. Quia autem id temporis abfui, quæ tum ægro acciderunt ultrà referre religio est. At post dies quatuordecim quàm relapsus est, ad eum iterum viso, ubi à cœna mediocri tribus admodum horis festivo sermone extractis, postea vir probus, à metu omni vacuus, divini officii causa conclave petit, ubi cùm diutiùs quàm soleret remansisset, uxor sollicita, visens

visens quid ageret, prostratum offendit, oculosque quasi somno gravatos ægrè levantem. Exclamat pavida. Concurritur. Attollimu hominem eâdam quâ priùs corporis plagâ denuò resolutum, veternoque afflictum. Nihilominùs antequam è conclavi in cubiculum commodè traduci poterat, expergiscitur, horologium inspectat, cladem deplorat, pede affecto ingreditur, reditque nostrâ opinione citiùs ad personam pristinam. Ibi ego, cautionis loco, è saphena sanguinem mitti jubeo. Inde cubitum itur securè. Assidetur, donec iterum æger post quadrantem horæ, adinstar strangulati, anxiè luctaretur. Accurritur. Anhelat, gemit, oculos quoquoversum cæco torquet impetu, brachia jactat, cohærent dentes, auctâque fpiritûs difficultate tantum non præfocatur. Mox quietus sine spuma jacet, at facie lividâ, labris ferrugineis, tumidis, summo item pectoris lurido, venis jugularibus oppidò contentis, et turgentibus, quæ quidem antehac nunquam, ne vel ligaturæ adminiculo, poterant in conspectum adduci. Hîc ego re insperatâ admonitus scalpellum actutùm arri-

pio, venam tandem se prodentem, nullâ morâ, pertundo; impetu miro prosilit captivus sanguis: quo abundè detracto, paulatim reviviscit vir optimus, resque jam meliùs ire incipit.

Hujus ego tristi casu consternatus, totam inde noctem insomnem transigo, scenam funestam et calamitosam ultrò citròque animo revolvens. Ante omnia apud me constituo, negatum esse alicunde sanguini commeanti cursum ordinarium à dextro ad sinistrum cordis sinum: propterea quod ipsis quidem oculis manifesta esset sanguinis in venis omnibus superis obstructio: quod idem pariter inferis accidisse nullus dubitabam, tametsi, ut quòd res est fatear, eas non inspexi, utique præcipiti occupatus malo. At nusquam posse omnem venarum sanguinem sisti, refutarique, nisi vel ad cor, vel certè ad pulmones, docet Anatomice. Quare huc præcisè redibat omnis quæstio, in corde an pulmonibus hæreret vitium? Atqui pulmones planè arguebat damnabatque notabilis illa in primis spiritûs gravitas,

gravitas, quæ concidentem tenuit. Cum nostra conjectura faciebat quoque perspicacis Bruneri observatio, quæ extat in epistola ejus ad Vepferum data *de cicuta aquatica*: nempe, "in omni suffocationis genere sibi èxplorato, "repertum esse semper cor sanguine turgi-"dum, similiterque venam cavam ascenden-"tem, ut et cæteras venas insigniores: sangui-"nem verò ipsum nullo interim teneri vitio." Unde colligo, urgente suffocatione, liberum patere aditum ad cordis aulam, ideoque in vitio esse solos pulmones, quâ convulsos, quâ collapsos, cùm ipse sanguis, Brunero teste, maneat incorruptus. Quare posito nunc (quod pòst magis intelligetur) pulmonum vitio, age videamus quo ordine sese spectatorum oculis exhibuerint varia illa quæ modò adnotavimus ægro nostro supervenisse tantæ calamitatis signa.

Primò igitur collapsis pulmonibus, necesse est in dextro cordis sinu subsistat cumuleturque sanguis; ut et in venis quæ cordi sanguinem subministrant, quales sunt jugulares,

quæque his iterum impertiunt de cerebro. Deinde venis sic, ut dixi, sanguine differtis usque ad cerebrum, certum est ab iis ubique premi urgerique nervorum origines, dum venæ, quæ nihil emittunt, ab arteriis, adhuc sanguinem advehentibus, magis magisque farciuntur et inculcantur. Unde vertigo, aurium sonitus, oculorum caligo, et inordinati incompositique per universum corpus motus, denique stupor seu apoplexia, quippe quæ omnia vicissim manant à diversa cerebri compressione.

Quare non absurdè videor pro caussa intermedia horum effectuum posuisse pulmonum convulsionem. At huic ipsi convulsioni præcurrisse ventriculi molestiam sensit et confessus est ipse æger: ideò nos quoque hanc ventriculi affectionem pro caussa alteram illam ordine antegressâ admittimus. Quî id tandem, dices? Ecquâ necessitate, quæso, pendet pulmonum spasmus ab offensione ventriculi? Nempe, id quî fiat non erit intellectu difficile, siquidem velis oculos animumque referre ad

naturalem

naturalem *paris vagi* distributionem, quod tam ventriculi quàm pulmonum usibus inservit. Hinc enim mirari desines, si unius partis noxa alterius offensionem trahat: præsertim cum id aliàs confirmet communis et quotidiana Medicorum experientia. Fuisse autem revera ventriculum à bile lacessitum satis ostendit singularis illa, de qua suprà retulimus, ægri nostri constitutio, cui nunquam quisquam elicitus est vomitus, quin primo statim impetu magnam unà promeret bilis sinceræ vim: unde factum est scilicet, ut integris adhuc viribus perpetuâ tentaretur ventriculi anxietate; deinde, ut, collectis iterum à paralysi viribus, nunquam tamen inter vehementes morbi accessiones intercesserint plus dies quatuordecim extra usum seri caprini, aliûsve alicujus medicinæ.

His omnibus diligenter expensis, planum esse arbitror; primùm, in hoc homine abundâsse bilem; inde exasperatum ventriculum; à ventriculo asperato, convulsos pulmones; hinc præpeditum sanguinis transitum ab al-

tero in alterum cordis thalamum; eâque re venas sanguine refertas compressisse cerebri nervos; indeque secutam esse repentinam omnis sensûs motûsque cessationem.

Neque hoc loco alienum erit animadvertere, talem cerebri compressionem, à pulmonum spasmo oriundam, longè diversos disparesque posse effectus parere, pro longiore brevioreve ipsius spasmi mora, iterumque præut ex toto vel ex parte comprimatur cerebrum. Quando enim spasmus brevi durat, partem duntaxat cerebri attingens, accessionem invitat epilepsiæ, per iniquam scilicet spirituum ad musculos allegationem: quando verò idem spasmus perseverat, totumque afficit cerebrum, infert apoplexiam; nimirum, propter æquam nunc ubique nervorum oppressionem; eamque lethalem, si vel de vasis nimiùm (ut exposuimus) contentis unum quodpiam forte quâdam rumpitur, vel in cerebro fit uberior seri secretio: id quod in corpore passim usu venit, quoties obstruuntur venæ. Cujus rei

fidem

fidem facit testis certè locuples et idoneus, Lowerus, de *motu cordis* agens.

Hinc utique intelligitur quemadmodum epilepsia frequens exeat in apoplexiam, quod sæpe factum notârunt Wepferus et alii. At quo tandem pacto in paralysin desinat apoplexia, in præsens ampliandum censeo, ut ad rem abruptam redeam.

Nam et ex remedii à nobis adhibiti naturâ et efficacitate porrò confirmatur sententia nostra de pulmonum spasmo, ut totius mali fomite. Ut enim primùm in animum induxi pulmonibus præsentem adesse spasmum, ægro statim præcipio, ut in proximam morbi accessionem paratum expromptumque habeat spiritum salis Armeniaci, de quo sumat triginta admodum guttas. Ea autem accessio post octo dies, me præsente, incidit. Ex magna stomachi anxietate orta est repentè perturbatio cerebri; ea quum invaderet, æger pertimescens sibi, brachia in orbem jactat, ut vertiginem jam illapsam significaret; deinde in-

faustum illum hebdomadis diem, quo novissimè eâdem erat deprehensus tempestate, nominatim ingeminat. Ego verò, quo fretus eram, spiritum in auxilium voco, isque dicto citiùs turbulentam comprimit vertiginem, ægrumque dat sibi. Totâ illâ nocte æger frequentem urinam reddit. Proximo mane, hausto vomitorio, bilem, qualem ante, magnâ copiâ evomit.

Quæret aliquis, Unde tam subitò injecta est sævienti malo mora, durante adhuc mali caussâ, bile? Cui ego similem quæstionem à curiosis naturæ interpretibus otiosè discutiendam in medio relinquo: unde est, ut idem spiritus, infantibus ex dentitione convulsis, aut febrientibus, datus, sævitiam morbi reprimat et refutet, nondum eductis dentibus?

Sane posthac noster ab omni fuit tentatione liber. Quo faciebat certè haud parum, quòd omni ope studioque providimus, ne bilis diu, sive in ventriculo, sive in intestinis cessaret: idque potissimùm per lenes utriusque loci purgationes,

purgationes, perque modicam et dilutam victûs rationem (in quibus ut modum servaremus admonuit superstes paralysis), ne hilum morantes præclara illa, quæ hujus morborum speciei tanquam propria et privata prædicantur, remedia; quando mihi facilè persuadebam, tamdiu oportere secerni bilem, quamdiu existeret hepar. Hoc unum demum hodie illi superat malum, quòd sæpe et vehementiùs oscitet, quòdque stomachi acrem flagitationem audiat, quoties à cibo diutiùs vacat, quo ille solo adjumento utitur ad temperandam bilis acrimoniam, et defendendas ventriculi fibras.

Jam huic historiæ eò fidentiùs meum subjunxi commentarium, quod eum porrò illustrare, atque adeò adfirmare videantur elaborata summi viri, à nobis sæpe laudati, Wepferi, præ manibus nunc versantia, de venenorum vi et natura experimenta, quibus ostenditur, venena nondum commista sanguini, sed in ventriculo adhuc stabulantia, plurima dira et horrenda facere facinora, ad loca etiam maximè

maximè distantia: cujusmodi sunt, præter dolorem cardiæ, vertigo, faciei rubor, epilepsia, apoplexia, aliaque bene multa, istis simillima, quæ nos in præfato nostro ægro observavimus.

Non equidem aio eosdem planè esse effectus veneni, atque bilis etiam acerrimæ in ventriculo abundantis. Hoc unum aio, utramque rem suos edere effectus sola fibrarum ventriculi contactarum irritatione. Quod sanè neutiquam impedit, quò minus utriusque rei effectus ad ventriculum æquè inter se differant, ac ad nares differunt inter se effectus rerum fragrantium; quas quidem facilè credunt et fatentur omnes ex solo agere *contactu*, nervi olfactorii; quanquam effectus præbeant i. e. odores, inter se dissimillimos. Utque acriora quælibet odorata, sternutamenta semper, quandoque etiam convulsiones, et alvi dejectionem movent; sic et acriora quælibet ventriculum contingentia (sive titillent, irritent, rodant, urant, vibrent, distrahant, seu alio quovis pacto agitent et pervellant) con-

tractiones parere et convulsiones, aliosque multos naturaliter his conjunctos effectus, usque ad extrema corporis, constanter et uniformiter propagare affirmo, tametsi talia irritamenta nunquam intra sanguinis circum admittantur, verùm in primarum tantùm viarum latebris subsideant.

Cæterùm ut his tandem finem ponamus, operæ pretium erit animadvertere de stimulorum genere nulla esse, quæ in ventriculo et intestinis mirabiliores dent effectus, quàm purgantia et vomitoria, quorum ope vulgò creditur contaminatam sanguinis molem repurgari, corruptamque ejus, atque adeo humorum inde provenientium, partem à sincera segregatam, per communem postea corporis cloacam eliminari foràs. Nam id quoque temerè perperàmque credi existimo.

Quemadmodum enim jam suprà ostendimus, insigniora illa et funesta veneni juxtà et bilis effecta tantùm ab ea manare vi, quam brevi in ipsas partium à primo circumsessarum

rum fibras exerunt; ita non dubitamus ostendere, tam purgantia quàm vomitoria suam, si non omnem, saltem notissimam vim et efficacitatem in fibras duntaxat ductûs alimentarii exerere, eamque vim cum fibris sic communicatam non minùs cedere totius corporis bono, quàm ex pervulgata opinione huc usque fieri creditum est.

Quæ doctrina ut melius comprehendatur, tenendum est in primis, intestina æquè ac ventriculum vestiri tunicâ musculosâ, aliisque præterea cingi instrumentis comprimendi astringendique vim habentibus, cujusmodi sunt diaphragma, musculique abdominis: quorum licet vires peringentes esse existimârunt nuper homines multi nominis, nos tamen, (absit verbo invidia), caussæ effectricis vim ex ipsis effectibus, ut æquum est, expendentes, perdebiles esse putamus; propterea quod eorum omni molimine ordinario, fæces ingestorum ad anum non perveniant, nisi unius saltem diei civilis intervallo. Quum autem et fæces ipsæ parvi sint ponderis, et

spatium

spatium transmittendum liberum sit; utique apparet, neque momentum, neque, quod consequens est, vim applicatam magnam esse posse. Ut autem ita se res habeat in statu integro, quamdiu ab externa vi immunis est corporis ipsius machina; experientiâ tamen constat, easdem vires, medicaminum operâ, multum augeri posse, sic ut uno impetu celeriterque queant ingesta vel è ventriculo sursum versus rejici, vel per flexuosum intestinorum iter usque ad anum dejici; illud scilicet vomitorii, hoc purgantis ope.

Ad vomitum quod attinet, maximè si spectemus impetum, quo rejiciantur res in ventriculum demissæ, haud gravatè mihi ab omnibus concessum iri confido, ejus genuinam caussam neutiquam esse posse auctas ad ventriculum secretiones, quin potiùs summam ventriculi à stimulo urgente vellicationem: cujus rei certissimo indicio sunt et nausea, et anxietas, et salivæ circa fauces exaggeratio, quæ proximè præcurrunt omnem vomendi nisum; quibus adde fidum Wepferi testimonium

nium * cui in cane vivo, cujus abdomen resciderat, ob oculos apparuit ventriculus subinde succussus et convulsus.

Purgationis parem esse rationem apparebit, si demonstratum dedero, non posse secretiones ad intestina auctas alvum solvere et citare hominis rectè valentis. Id autem perspicuum fiet ex insigni vasorum tam lacteorum, quàm cæterorum pitissantium et sorbillantium, efficacitate; quâ non solùm partes cibi fluentiores, eodemque loci depositæ secretiones, prorsus intercipiantur, et in orbem sanguinis priùs transferantur, quàm ad anum deveniant; sed præterea multa liquorum pondo liberaliùs fortè hausta, quæ similiter intercipi indies observantur, extra ullum liquatæ alvi signum.

Unde primùm colligo, ex liquorum ad intestina affluentia non fieri diarrhœam, seu alvi profluvium.

---

* Cap. xv. Hist. I. Observ. annex.

profluvium. Deinde malè æstimari secretionum ad intestina modum ex modo dejectionis.

Contra, si ponamus eodem planè modo procedere purgantia atque vomitoria, sciz. ut in intestinis comprehensa vehementi compressione proruant et præcipitent, facilè intelligetur, quonam pacto possit accidere diarrhœa extra secretionum incrementum. Nam huc profectò satis liquorum fluit ad profusionem alvi efficiendam ; quum initâ ratione perhibeatur, ex hepate ad intestina uno die civili tria admodum emanare bilis pondo, idemque temporis succi pancreatici uncias quatuor et viginti ; præterea innumeras esse glandulas, quæ suos quæque liquores eòdem mandent : ad summam, ex singulis ferè intestinorum punctis privos derivari liquores, de quibus adi Ruyschii thesauros.

His ita positis, ultrò sequitur, ad profusionem alvi nunquam deesse sati smateriæ : prohiberi tamen eam per ingentem siphonum sorbillantium numerum, quorum intercessione

cessione efficitur, ut in corpore integro ne vel guttula istius materiæ ad anum perveniat; nisi si quæ fortè se immisceat accrescatque alvi fæcibus. Sin intestina adventitio quopiam adurgentur stimulo, iisque similis impingatur vis, atque vomenti stomacho (qua de suprà diximus), necesse est, hoc in statu, ut prorsus defraudentur siphunculi sorbillantes, et universa simul liquida usque ad anum catervatim ferantur. Inter purgandum verò adesse hoc à stimulo irritamentum, nemini obscurum esse potest, quum omnem purgationis impetum semper antecedant intestinorum turbæ, alvique quædam tormina, deinde consequatur ejusdem agitatio et dejectio: (prorsus ut in vomitu anxietatem stomachi nauseamque excipit violenta liquorum sursum versus exspuitio:) mox, per agitationem illam, decussi intestinorum fibris, quas modò fodicabant, stimuli ex parte simul evacuentur, eaque de re quædam fiat remissio; donec pars stimulorum superstes iterum ad fibras subsidat, easque jugi irritatione

sollicitet

sollicitet ad novam contractionem, unde nova sequatur dejectio.

Hinc utique intelligitur, purgantium vires non nisi gradatim frangi et imminui, fusionemque alvi sponte naturæ paulatim consistere.

Ad hypercatharsin, ex frigore sub purgatione natam, quod attinet, ejus ratio facilè inietur ex iis quæ superiore dissertatione diximus de vi et natura frigoris. Ibi enim ostendimus, per frigus multum contendi vasa illa interna quæ externis inalgescentibus respondeant; eamque ob caussam ita acui eorum sensum, ut res quæque levissimæ, si interveniunt, stimulorum fortium vicem gerant: secretiones etiam hoc in casu plurimùm augeri animadvertimus: quod idem licet tempore purgationis medicinalis fieri fateamur, (cùm à quovis, cujusquemodi sit, stimulo passim policiantur secretiones), negamus tamen ex hujusmodi secretionum auctu provenire posse liquationem alvi, nisi præ-

terea accedat intestinorum pressio et contractio vehemens, quâ solâ interveniente fit, ut tubuli sorbillantes suâ priventur portione.

Sed et alia est præterea caussa, quamobrem, purgationis tempore, secretiones ad intestina vergant, nimirùm insuetus id temporis intestinorum æstus (quo de videas licet epistolam Bruneri ad Wepferum *de jalapio)* quæque huic conjuncta est vis magna humiditatis attrahendæ; quam quidem caloris vim experimentis docet Keilius in disquisitione altera *Staticæ* suæ *Britannicæ* annexa. Cujus rei mihi quoque aliquando incidit exemplum luculentum, in homine adolescente, febri correpto, cui accesserat diarrhœa, cum extremo stupore sensuum. Is cum nihil planè ore haurire vellet, quanquam immoderato æstu totus torresceret, quo humectaretur, jubeo in aquam egelidam immergi pedes: quo facto, protinus aquæ mirum cerno in vase decrementum; deinde ejusdem vixdum coloratæ è vestigio impetuosam, more cataractæ, per anum effusionem. Quæ tamen (sat scio) nunquam

nunquam isthac sese proruisset foràs, nisi eodem tempore adfuisset diarrhœa.

Ex hac æstuantium corporis partium humoris attrahendi sorbendique facultate intelligitur, quî rerum valde inflammantium stimulantiumque operâ (cujus generis sunt hydragoga omnia), in ascite deriventur aquæ ad intestina, indeque per posticum emittantur.

Quumque ulcera per vasorum ruptorum hiantiumque laxitatem, perque copiosum liquorum concursum, plerumque contumacia reddantur, hinc quoque intelligitur, quî fiat ut illorum curationi tantopere subveniant purgantia. Nempe quia sex octove horarum spatio maximum ea foveant ad intestina calorem, unde hæc vicissim magnam ad se alliciant humorum vim et copiam, per anum mox egerendam, sicque totum corpus exsiccetur; insignis etiam et perpetua quædam fiat à partibus longinquis revulsio.

 Quod

Quod si ponamus partem stimulorum ingredi circum sanguinis, cumque eo unà totum obire corpus, perspicuum erit, quî, ex modico purgantium usu, universo corpori novum accedat robur. Nihil enim certius, quàm stimuli mediocres, lassatas corporis partes reficit et instaurat, cum eo tamen ne liquorum vim adversus vasa nimio plus augeant; id quod à purgantibus per revulsionem modò dictam cavetur.

Ex hac omni de purgantibus disputatione confessum iri spero, ad alvi fusionem, seu diarrhœam (ubi integræ sunt siphunculorum pitissantium vires) oportere, ut hospitantis materiæ aucta sit ad intestina celeritas, quæ quidem nunquam non adest, in omni purgatione leni, aut vehementi, ab externis aut internis medicamentis ab ipsius corporis temperatione ordinaria, aut inordinatis animi motibus, aut si quæ aliæ sint purgationum caussæ. Deinde facilè decerni, quando frequentiores eventuræ sint alvi dejectiones, extra violentam intestinorum contractionem: nempe,

nempe, quoties cessat tubulorum pitissantium actio: tum enim dejectio colluvies quædam erit ex omnibus rebus ad intestina promiscuè ruentibus; eademque torminibus atque violentiâ carens.

De affectu cœliaco, si ab intestinorum lævitate disjungitur, dubito, an inter morborum species nominatim debeat recenseri; quippe qui multùm suspicer, chylosam non esse illam, quæ pro chylosa vulgò habetur, materiem.

His ita expositis, ob oculos versantur quatuor stimulantium genera, quæ, pro cujusque gradu, effectus sortiuntur longè diversos.

Primum genus magnam complectitur venenorum partem, quorum aculei adeò sunt acres et vehementes, ut è vestigio fibras sibi obvias carpant, pungant, vellicent: neque citiùs in ventriculo dissolvantur, quàm omnia disturbent et pervertant, pylorum juxtà et cardiam constringant, vehementiâque suâ extrema

disclusasque corporis partes in consensum rapiant, indeque uno quasi ictu et contagione universas corporis vires feriant et prosternant, dum ipsum veneni corpus adhuc in ventriculi sinu utrinque clauso continetur. Quòd si venena non liquantur prius quàm ad intestina perveniant, isthic demum suas excitant tragœdias.

Alterum genus constituunt vomitoria, quorum stimuli ita celeriter dissolvuntur, atque ita acriter pungunt ventriculum, ut ejus constrictionem navent, prius quàm ad intestina perveniant. Hoc autem interest, quod cardiam non occludant, verùm isthac se exonerent *. Quod etiam venena præstant, si modò ocyùs magna hauriatur tenuioris cujuspiam liquidi copia, ad frangendas et interrumpendas admissi hostis vires.

Tertium genus constat purgantibus, quæ, nisi nimiâ dantur copiâ, nunquam cient vomitum;

* Willis, Pharm. Ration. S. 2. c. 1. Wepfer, de Cicut. aquat. c. 8.

tum; verùm ad tres quatuorve horas placidè conquiescunt, donec ad intestina tandem delata dissolvantur: quo facto, cuncta isthic stabulantia, calcaribus suis, quemadmodum exposuimus, ad anum agunt, ruunt, deturbant.

Quartum genus eorum est, quæ neve stomachum, neve intestina ita permovent, ut inibi comprehensa vel sursum vel deorsum pellant; sed tamdiu circa vasa lactea desident, quoad ab iis penitùs absorbeantur, priusquam ad anum perveniant.

Hujus generis innumeræ sunt species, quæ pro diversa indole diversos aortæ ramos afficiunt: qui quidem rami inter sese mirum quantum differunt, sive eorum spectes à corde distantiam, sive ad truncum suum inclinandi rationem, sive longitudinem, sive latitudinem, seu flexus et anfractus, seu numerum et discrimen ramulorum perpetuò subolescentium: ne plura huc spectantia congeram: quorum tamen operâ fit, ut de

medicamentis hoc duntaxat hunc, illum illud locum contingat, suoque quodam jure afficiat; utque potulentorum modo respondeat non occulta et insensilis corporis perspiratio, sed urina.

Ex eodem fonte solutiones habent sexcenta alia problemata statica et hydraulica. Quod nemini facilè dubium esse potest, qui animo complectitur quàm multifariàm à simplici stimulo afficiatur via alimentaria.

Huc igitur in primis sese ut convertant Medici, si quid apud alios mea valeret auctoritas, equidem auctor forem; ne solùm intenti, uti fit, humorum degenerum correctioni, præteritâ vasorum labefactorum curâ, oleum operamque aliud agendo ludant.

FINIS.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ASTHMATE INFANTIUM SPASMODICO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. JACOBI MURISON,

UNIVERSITATIS ANDREANÆ RECTORIS MAGNIFICI,

COLLEGII SANCTÆ MARIÆ PRÆFECTI,

ET

S. S. THEOLOGIÆ PROFESSORIS PRIMARII;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS SIMPSON, A. M.

Scoto-Britannus.

Ad diem 18. *Octobris* 1761, *H. L. Q. S.*

PLURIMUM HONORANDO DOMINO,

ALEXANDRO DICK

DE PRIESTFIELD,

EQUITI BARONETTO;

COLLEGII MEDICORUM REGII EDINBURGENSIS

PRÆSIDI DIGNISSIMO;

MEDICINÆ SCIENTIA, ET BONIS LITERIS OMNIBUS

INSTRUCTISSIMO;

VITÆ ET MORUM INTEGRITATE, COMITATE, ELEGANTIA,

ORNATISSIMO;

PLURIBUS NOMINIBUS

PATRONO EXOPTATISSIMO;

HANC QUANTULAMCUNQUE SUMMÆ OBSERVANTIÆ

TESSERAM

D.D.D.C.Q.

JACOBUS SIMSON.

DE

ASTHMATE INFANTIUM SPASMODICO,

CUM

RAUCA VOCE, ET RESPIRATIONE SIBILA.

SECT. I.

CORPORUM animalium compages ex partibus constat dissimilibus, quibus singulis propria est vis : hæ firmæ et friabiles ; illæ firmæ et tenaces, atque haud facile dissilientes ; aliæ autem molles et fragiles ; pleræque tamen deprehenduntur molles, tensiles, et tenaces ; atque in his varie componuntur membranæ, corium, ligamenta, caro, necnon et viscera multiplicia ; quorum mirâ structurâ et operâ ex assumptis formatur chyli et sanguinis proventus perpetuus ; ex quo denique multa humorum varietas.

SECT. II.

SECT. II.

Quomodo formantur humores non facile assequimur; nam ad eos in corpore perficiendos, requiritur non solùm aëris et atmosphæræ actio, quæ rarò eadem manet; sed et diætæ ratio, famulantibus insuper nisu et impulsu assiduo respirationis et musculorum, aliisque adminiculis generalibus.

SECT. III.

Ad chyli et sanguinis formationem conspirant omnia fere corporis viscera, atque eodem non parum conferunt variæ corporis partes. Hinc fit, ut sanguis sit liquor compositus, ex congressu particularum dissimilium, qui deinceps resolvitur in humores varios: sub his congressibus et resolutionibus in se mutuo agunt particulæ, inque novam prorsus faciem se invicem mutant, vi ipsis insitâ; quarum multiplicem operam assequi philosophorum nemini licet.

licet. Adeo impervestigabilis est chemia corporis animalis!

SECT. IV.

Ex obscurâ hâc humorum compositione, multum licet faciente ad integritatem et sanitatem corporis, obscurior redditur ars medica, atque ejus regulæ inventu difficiliores; quanquam non adeo difficiles, ut primâ specie forsan videantur. Medici enim ex debitâ curâ vasorum majorum, imperium quoddam obtinent in secretiones, quæ magis minusque plerumque variant, pro statu et conditione notiorum partium viscerum. Enimvero medicinam facientes, rem sæpissime habent, non cum partibus obscurioribus, sed notioribus.

SECT. V.

Cùm itaque in morbos tum solidorum tum fluidorum obtineatur imperium, ex curâ præcipue solidorum, medici animus maxime intendendus est eorum curationi. Hujus sententiæ

tiæ felicitas satis patet ex spasmorum enucleatione. Proveniunt enim hi ex fibrarum muscularium offensione; per quam haud parum mutantur corporis humores. Illæ enim fibræ musculique ex iis compositi, maximam constituunt partem superficiei corporis, reguntque artus omnes, et ipsa sensuum organa; et ab earum irritatione vitiantur humores, eâdemque suppressâ ad sanitatem redeunt. Quemadmodum accidit inter navigandum nauseantibus, quique, tunc temporis, evomunt prasinæ viriditatis humores, aliàs ventriculo ignotos. Quam temere autem et inutiliter operam suam poneret, qui in hoc casu ex humorum correctione curationem meditaretur?

SECT. VI.

Partes musculosæ, ut suis fungantur officiis, mirâ motus facilitate præditæ sunt; quæ ex earum facultate tensili pendet; cui etiam parent quidam musculi usque ad alteram partem longitudinis solitæ, atque citò sibi ipsis permissi resiliunt. Monstrat hoc quodammodo

musculorum

musculorum naturam, et a quo principio eorum petenda est actio: quæ nulla esse potest musculi, cujus partes arctè nimis inter se componuntur. At e contra, quo laxior est partium compages, dummodo non prorsus resolvatur, eo facilius in motum inducuntur: atque, ut Galeni de consuetudine interpretis verbis utar, "Corpus rarum et molle facile, ab extrinsecus, injuriis afficitur, durum autem facilius eas tolerat, ægerrimèque ab illis labefactatur." Hinc intelligi potest, quare infantes adeo facile in spasmos cogantur, eoque magis, quo laxior est eorum habitus; et quare etiam mulieres, magis quàm viri, iisdem tententur; et quid faciat musculorum per antagonistas dispositio, ad animi imperium in musculos stabiliendum.

SECT. VII.

Hæc tamen animi in musculos quantacunque potestas, non impedit quo minus omne acre aut pungens adhibitum, in motum eos cogat: horum autem actio in musculos, longè

discrepat ab animi actione ; hæc enim, si modò conscius agat animus, non ultra musculos propagatur, quibus est opus, quosque movere vult : sed timuli ad musculum appliciti effectus raró intra limites certos consistit, sed propagatur quaquaversum, etiam ad partes interdum a stimulo longè dissitas. Excipiendus tamen est stimulus nervi, qualibet vi tensi, cujus actio non progreditur ultra musculum cui inseritur ; notante illustrissimo Hallero.

SECT. VIII.

Dispositione musculorum in corpore nostro, motûs eorum facilitati optime consulitur ; tensi enim detinentur per antagonistas, uti diximus ; sed hæc facilitas ex usu multùm augetur. Hinc scire licet, quænam corporis partes maxime opportunæ sint vexationi a serpente malo : in his imprimis numeramus cor ipsum, laryngem, intestina, et oculos. Cor assidue movetur, et tantum non perpetuò distenditur ; sexagies enim aut septuagies uno temporis

temporis minuto dilatatur; atque siqua animi perturbatio vehementior invaserit, nunquam non palpitatione corripitur; quod etiam sæpius fit ex stimulo acerbiore, per corpus serpente, a quavis parte: exinde plerumque etiam respiratio incerta redditur, et haud raro tantum non clauditur larynx, cum vitæ periculo: quod si vis mali in ventriculum aut intestina ingruat, quibus contrahendi maxima facultas, sequitur nausea, vomitus, alvique dejectio, sæpe cum summo dolore: inter hæc, si oculi more insolito volvuntur, non mirum; quippe qui ita alveis suis componuntur, ut ad motum sint proclives. Sed cæterarum partium consideratio non est præsentis instituti; missis igitur istis, laryngis considerationem aggrediemur, ut rationem asthmatis, de quo sermo instituitur, dilucidemus.

SECT. IX.

Supra notavimus, stimulorum actioni musculos maxime opportunos esse, qui statu sano maxime exercentur; quâ de causâ nullum

corporis membrum magis quàm larynx ab iis offendi solet. Respiratione enim, quæ viventibus nunquam cessat, perpetuò exercentur laryngis musculi; quin insuper lactentibus hæ partes peculiari ratione exagitantur: nam, ut succum ex uberibus ducant, maximâ musculorum vi linguam deprimunt, epiglottidem, glottidemque claudunt, clausamque detinent, donec pharyngis musculi lac per gulam cogant; ita ut hi musculi constringantur, tum deglutionis, tum suctûs tempore; interea spiritus naribus ducendus est haud sine vi quâdam in partes circa fauces; occlusis *sciz.* aut supra solitum coarctatis omnibus anhelitûs viis. Ex his satis constat, infantium laryngem, partesque huic vicinas summopere exerceri, atque inde ad stimulum et motum faciliores reddi, ideoque aphthis, glandularum intumescentia, dentitione, et inflammationis aliis causis, miserè sæpe cruciari.

SECT. X.

SECT. X.

Conditiones, superiori (IX) sectione memoratæ, veræ sunt causæ asthmatis strangulantis et convulsivi, de quo agere in hâc dissertatiunculâ suscepi. A suctu enim larynx partesque vicinæ ad motum tam faciles redduntur, et infantium fauces tam multiplicibus irritamentis objiciuntur, ut iis nimis quàm familiares sint hujusmodi convulsiones. Verùm hic forsan non abs re fuerit monere, esse casum quendam, qui, licet non multùm videatur abludere, nequaquam enumerandus est inter species nostri asthmatis. Hujus mali exemplum rarò conspicitur post octavum a partu diem; ab obstetricibus impropriè maxillæ descensus nuncupatur; cùm revera musculi, qui maxillam inferiorem ad superiorem adigunt, spasmo rebelli, per diem unum aut alterum maxillam immotam detinent; interim fames et dolor infantem miserè lacerantes, in totum corpus spasmos inducunt, cum spiritûs insigni contentione; quibus tandem

dem æger succumbit, non obstantibus mulierum medicantium technis; quibus pro more liberaliter abutuntur.

Malum hoc, ex suscepto frigore arcessiri, multoties notavimus. Frigidissimis enim anni temporibus, interdum ipso natali, sæpius uno aut altero a partu die, ad templum, intervallo parum commodo dissitum, defertur infans nudâ facie, et ibidem forsan diutius detinetur, solenni baptismi ritu, Christi sacris initiandus. Nil mirum itaque, sicubi invaluit sæva hæc consuetudo, Servatoris benignissimi et infantium amantissimi institutis aliena, ibidem infantium masseteres crotaphitesque musculos, spasmis pertentari. Hos quidem spasmos non admittimus inter species asthmatis nostri; nequaquam tamen omittendos censemus, in convulsionum infantium enumeratione; cùm sit spasmi genus acutissimum, medelamque exigat præsentissimam, ab epispasticis pone aures positis, anodynis, oleosisque ad musculos affectos applicatis, cùm intrinsecus nullum possit adhiberi

beri remedium: obturatis nimirum maxillis, licet sæpius moribundo infante resolvuntur. Sed ad propositum redeundum, et, ut planiora fiant omnia, hic forte optimum fuerit, asthma nostrum quodammodo definire.

SECT. XI.

Hunc itaque morbum dicimus esse affectum laryngis spasmodicum, a stimulo circa fauces, vel etiam partes remotas, provocatum sub quo spiritus ducitur cum labore maximo et clangore gutturali, rectâ cervice, et brachiis extensis. Hac omnia, ut simul et subito solent ingruere, sic ferè, remoto stimulo, evanescunt, cumque eodem redeunt. Morbus hicce, utpote maxime violentus, non est diuturnus; sed intra paucos dies, ex ancipiti malo, convalescit infans aut letho datur. Hic forsan notari debet, licet hunc dicimus esse affectum laryngis spasmodicum, exinde tamen aliquando malum hoc ad alias quoque partes corporis serpere, oculosque et manus tentare, quamvis rarò hoc fit, et sub paroxys-

 mis

mis duntaxat atrocioribus. Ex dictis notis, opinor, asthma hoc a congeneribus satis distingui posse.

Brevi hac descriptione viam munire volo ad remedia indicanda: frustrà enim medicina paratur, cujus usus semper erit incertissimus, morbo non satis definito, nec causis ejus indagatis, quum singuli pro causarum varietate sua habent et propria remedia et curandi rationes; quibus posthabitis aut ignotis, ad medicamenta cæca et temeraria confugere non est medici, saltem probi et cordati. Nos igitur hic remedia auspicabimur ab iis, quibus hoc malum a dentitione provocatur. *

SECT. XII.

Omnes fere infantes plus minusve malè habet dentitio: haud pauci tantum non perpetuò vexantur toto hoc tempore: queruli fiunt et insomnes, nunc vomitionibus, nunc alvi dejectionibus, et variis omnino, et incertis molestiis jactantur, quibus tandem finem facit

facit dentium eruptio: his licet attenuetur corpus, et vires minuantur; interea tamen sæpius convulsionibus non infestantur; saltem larynx, ubi præsentissimum periculum, a malo immunis est. Aliter autem se res habet in aliis, quibus nimirum a suctu aut aliis causis infirmior est larynx; his enim sæpe primo quasi impulsu dentis acerbi ita afficitur larynx, ut illico conjiciatur infans in atrocem asthmatis paroxysmum cum clangore surdo, cui ni adsit præsens remedium, uno quasi ictu, miserum pessundat. Sed si, post accessionem primam, remittat morbus, ut sæpius fit, nondum omnia tuta sunt: vi enim primi illius assultûs, malo opportunum adeo redditur corpus, ut quævis agitatio vehementior, ex risu, tussi, aut aliunde, morbum non satis profligatum denuo accersat; et periculum hoc toto dentitionis tempore immineat; præsertim si neglecta aut intermissa fuerint medicamenta idonea. Pergit sæpe morbus hic absque ullâ tussi, interdum tamen comitante tussiculâ leviore, et siccâ. Evanescente paroxysmo, ad fauces confluens humor, manifeste

nifeste indicat, jam relaxari partes vicinas, morbumque fuisse ibidem spasmodicum.

SECT. XIII.

Huic malo si mederi volumus, nullus est dubitandi locus, quin dentium præcipue habenda sit ratio; itaque in auxilium vocanda sunt omnia, quæ iis succurrere possint, quæque inflammationem ex irritatione moderentur, et dentium per gingivas progressum, quantum fieri potest, accelerent: sed suadet periculum imminens ne tardè ad horum usum accedamus. Quum primum ergo inciderit suspicio offensæ laryngis, ex jugulari vena sanguis mittendus; quo facto, sæpius omnis metus illico tollitur; sin aliter, sine mora, epispastica ad longitudinem unius, et latitudinem duorum digitorum, cùm dextræ, tum sinistræ laryngis parti accommodanda; quod raró fefellit; etiam postquam epispasticum inter humeros applicatum nullam opem attulerat. Interea omnes maxillarum partes,

præcipue

præcipue ubi obtinet irritatio, oblinendæ oleo camphorato; et sæpius oleum amygdalarum, vel ejusmodi quid, ex cochleari minori, indendum ori; quo remollescant partes spasmo coactæ. Nec negligenda sunt specifica, quibus inest vis quædam abdita spasmos resolvendi: ex his mihi maxime arridet pulvis valerianæ sylvestris, cujus virtutes etiam felibus non sunt ignotæ; hæc enim animalia convulsionibus sæpius tentantur. Sed hoc genus auxilii præcipue valet, post pacatam aut saltem mitigatam, prioribus medicamentis, stimuli vim; tunc enim usu ejus quotidiano, non solùm perficitur curatio, sed ne morbus redeat optime præcavetur. Alvus etiam liquanda, sed diætâ, jure, nempe pulli, sero lactis vinoso tenui, et similibus, potiùs quàm medicamentis; lac autem omne merum, præter nutricis, fugiendum: si his nihil proficitur, injectiones et purgantia medicamenta leniora adhibenda, manna, *sciz.* rheum, atque etiam interdum exhibeo calomelanos grana duo vel tria. Sed omnino cavendum ne modum excedat purgatio, aut

repetatur

repetatur venæsectio, nisi id monet impetus febrilis: quo enim magis debilitatur infans, eo certius, spasmis objicitur. Debilitatem enim semper comitatur fibrarum laxitas, ex quâ, uti supra diximus, infantes et mulieres huic morbo opportuniores fiunt. Atque adeo tenues et exsucci, item tumidi et pravis humoribus scatentes, hoc malo tentantur, magis quàm bonis succis abundantes, quorum fibræ, utpote firmiores, non tam facilè irritantur. Hinc monemur, infantibus deligere nutrices copiâ lactis et ætate florentes, quarum facies hilaris, bene colorata et eusarca indicium det humorum ad nutritionem benè compositorum. Hoc morbo laborantibus temerè exhibentur pectoralia acria, licet id suadere videatur spiritus difficilis, et vocis clangor cum siccitate. Spasmi enim, ex stimulo istis medicamentis insito, omnia circumcirca itinera coarctant, et spiritum magis difficilem efficiunt: lubricantia autem potiùs danda sunt. Quamvis enim spiritus salis ammoniaci sit apprimè utilis ad compescendos spasmorum tumultus aliunde ortos, tamen ubi larynx est mali se-

des,

des, omnes ejusmodi spiritus irritantes ægros in periculum subitò conjicere solent.

SECT. XIV.

Nullæ corporis partes citius ex frigore malè afficiuntur, quàm quæ faucibus vicinæ sunt: hinc enim provocatur tussis, intumescunt glandulæ, et haud rarò spiritus difficilis redditur, cum istarum partium siccitate, et vocis clangore; quæ ferè nostrum morbum consituunt; cui quidem obnoxiores sunt infantes, a causis supra memoratis; (Sect. ix.) eoque certius corripiuntur, si frigori accedat etiam humiditas; tunc enim, altius quasi descendit frigus in corporis penetralia. Sæpe quidem ex hâc causâ morbus hicce initium duxit; sed sive hinc, sive aliunde, primitus oriundus fuerat, constat, frigore nihil certius aut subitò magis eundem denuo arcessere, interdum etiam multos post annos a prima accessione. Atque adeo mihi contigit quosdem visere, cùm a pubertate jam prope abessent, qui, ingruente euro humido, e plateis, ubi hilares paulo ante ludebant,

ludebant, domum delati fuerant, tantum non suffocati, ex spiritûs difficultate, cum vocis clangore, absque tussi tamen aut humorum colluvie; ut de spasmo ne quidem dubitare liceret. Quæcunque ergo causa hanc cladem olim importaverit, diu deinceps cavendum, ne frigori inconsultiùs objiciatur semel expertus. Laborantibus nihil magis expeditè opem fert, quàm tempestiva venæsectio, præcipue ad jugulares, si fieri potest, absque laryngis compressione; quæ etiam securius hic, si sit opus, iteratur, quàm in dentientibus.

Quamprimum epispastica etiam adhibenda, ut in priori casu, et oleosa itidem ori indenda; extrinsecus cervices lanâ et camphorâ fovendæ, quibus perspirationi consulitur.

Farinacea etiam, cum melle, et vini albi pauxillo, exhibenda; ut et serum lactis vinosum, sed tenue, ne nimis sanguinis motus ciatur.

SECT.

SECT. XV.

Infantibus ad labia, linguam, palatum, aliasque partes circa laryngem, familiaria sunt ulcera quædam; quorum dolores, qui sæpe sunt acerbissimi, spasmos concitant organi hujus mobilissimi: in his nulla sunt frequentiora iis, quæ aphthæ dicuntur; quæque multis sæpe infantibus, in ipsis cunis, mortis causæ fuêre. Labia enim infantis ulcerosa, viro malo, plerumque nutricis papillas inficiunt, et mutuâ deinceps contagione, alitur et exasperatur morbus, cum insigni tum infantis tum nutricis cruciatu. Harum cùm variæ sunt causæ, quæ primis a partu diebus apparent, ex retento meconio veniunt, quod e corpore ejectum oportuit: atque ideo auxilium petendum ab alvi solutione; sanguis etiam his sordibus inquinatus purgandus est, perspiratione auctâ, ad quam nihil magis facit quàm diascordii pauxillum. Ego *gr.* x, dissolvo, vel in aq. distillat. aut seri lactis *unc.* ii.; exhibeoque sæpius e cochleari minori,

felici

felici plerumque eventu. Et sanè non solum hic remedium hoc efficacissimum est, sed etiam ubi ex vomitione, aut diarrhœâ, aut febrili affectu, provocata fuerint hæc ulcera, admodum est utile.

Si a malignitate lactis nutricis oriantur, quid agendum nemini medicorum in dubio esse potest.

Sin ab aëre, ut sæpius, excitentur, sponte ferè digeruntur, ut et plerique morbi ex eâdem causâ, dummodo iis servire sciat medicus secundum Hippocratis præcipue monita.

SECT. XVI.

Quas hactenus hujus morbi causas memoravimus, eæ vel ipsam laryngem, vel partes quàm proximas attinent, quæ mutuo fibrarum amplexu illi connexæ sunt: inter has jure censenda est pharynx, quæ laryngi arctissimè cohæret; et ut omnia faucium mala participat, sic ad eas haud ineptè referri et attribui

potest,

potest. Haud ulla corporis pars fortasse hâc mobilior; quin etiam sæpe potu cibove devorando acerrimè irritatur: rarò hoc quidem aut nunquam infantibus accidit, quippe qui lacte solùm aut cibo minime acri nutriuntur; ideoque mole aut qualitate assumptorum non offenditur iis pharynx. Sed si quando majoribus natu secus fit, statim hoc spasmo liberantur, ejecto per os, aut in ventriculum detruso, quod gulam offenderat.—Sed hoc fortè non est hujus loci.

Hujus morbi causæ, quæ ex ipsâ larynge, aut partibus maxime vicinis, certe haud ultra pharyngem oriuntur, pro idiopathicis; quæ verò a partibus remotioribus, pro sympatheticis sunt habendæ: inter has nullæ sunt frequentiores, quàm ventriculi et intestinorum tormina, quibus miserè vexantur infantes, et hinc per gulam intermediam et pharyngem malum sæpe transit ad laryngem; ibique impetu facto, asthmate hoc præfocante miserum strangulat. Sed cùm ex his causis patitur larynx, cæteræ corporis partes a malo

non prorsus sunt immunes; maxima enim visceribus intercedit quasi necessitudo cum omnibus corporis membris; quod satis patet in colicâ pictonum, sub quâ corporis extremitates miserè, ad paralysin usque, convelluntur: ita hic quoque cùm convellitur larynx, cæteræ etiam corporis partes quodam modo convelluntur. Mali hujus origo, uti diximus, e primis viis est; itaque unde harum turbæ veniant, medico primum est prospiciendum: sed cùm de his fusè egerunt alii, nos non ultra prosequemur. Satis habebimus monere, postquam cancrorum oculis, vomitu, purgatione, nutricis curatione, aliisque quæ casus monebit, prima morbi causa remota fuerit, rationem habendam esse ipsorum spasmorum, qui radices altas adeo sæpe agunt, ut per se subsistant: quibus extirpandis nihil accommodatius est emplastro antihysterico majoris formæ ad abdomen retento; præsertim si exhibeatur interim pulvis valerianæ sylvestris.

Sed non solùm a primis viis transcurrit hoc malum ad laryngem; interdum etiam a

remotissimis corporis partibus eodem tendit, sine ullo magni doloris sensu: quamprimum verò in laryngem invadit, ex injuriâ respirationi illatâ, illico perturbatur cordis motus, et miserè vexatur homo aut prorsus opprimitur. Atqui ni fallit observatio sedula, impetus hic in laryngem, in plerisque casibus, est ultima quasi scena hujus tragœdiæ, et finis ubi ad tempus saltem hæc mala desinunt. Scio hic plerosque suspectum habere cerebrum; sed quomodo hæc cerebrum præstaret, nec ejusdem structura, quatenus hactenus explicita est, nec evidens certumque ullum experimentum confirmat: cùm manifestum sit ex officio laryngis in corpore, et structurâ, eam non posse spasmis tentari, quin sequantur mala suprà memorata; equidem novi bene multos, quibus ex assumptorum irritatione, sæpe accidit pharyngis, aut cardiæ, aut partis alicujus intermediæ, spasmus; qui statim cum larynge communicatus, tam arcte hanc astringit, ut ni, sine morâ, sursum aut deorsum expulsum sit quod gulam offendit, illico pereundum est. Cui sano hic nervorum in

mentem veniret, cùm tot presto sint musculi, vera motûs instrumenta, quique etiam nervis liberi a quovis stimulo in actionem induci possunt.

SECT. XVII.

Convulsiones has infantibus familiares esse notaverat medicus diligentissimus Fridericus Hoffmanus: sed earum naturam non satis exploratam habuisse, constat ex Systematis tom. iv. part. 3. cap. v. § 9. ubi de convulsionibus agit. "Ad convulsivos œsophagi "motus, cum primis pertinent pectoris "clangosæ concussiones, quæ teneris infanti-"bus inter epilepticas affectiones evenire, et "vulgò pro singultuosis commotionibus ven-"ditari solent; re autem verâ, nihil sunt "aliud quàm convulsivæ œsophagi et vicina-"rum partium concussiones; et plerumque "tristes sunt nuncii, cum morbo ad extrema "ventum esse: medico tunc nihil superest, "quam aut blandis antepilepticis, anodynis, "et analepticis pugnet, instantemque mortem "prænunciet."

" prænunciet." Dira sane prognosis! quam utique non nihil mitigâsset vir celeberrimus, si ratio hujus morbi ei satis expedita fuisset; a quâ quàm longè aberat, ex supradictis patet. Satis enim, ni fallor, ostensum est, morbum hunc, licet interdum ab œsophago aliisque partibus propagetur, sæpe tamen primigenium esse, eoque laryngem directè affici, nullâ aliâ interveniente corporis parte: clangor ille vocis, quem putâsse videtur autor sub fine solummodo convulsionum accedere, certe nihil est præter sonitum aëris elisi, tenui et astricto glottidis foramine: et ex facili dignoverint astantes vel a singultu, vel a ructu, indicatque certissime laryngem affectam, et eodem remedià dirigenda esse. Quamobrem autem convulsiones œsophagi, et pectoris concussiones unà confuderit, vix assequor, præsertim cùm in eâdem ferè sententiâ affirmet morbum hunc nihil aliud esse, quàm convulsivas œsophagi et vicinarum partium concussiones.

SECT. XVIII.

Si qui morbum hunc pro pertussi habent, næ illi vehementer errant. Pertussis enim ferè semper solet esse epidemica, et quocunque semel ingruit, passim grassatur in omnes, non solùm sub eodem tecto, sed in eâdem urbe, et viciniâ, qui nimirum antea nunquam hoc morbo impliciti fuerant; semel enim eo defuncti in perpetuum sunt immunes; quemadmodum accidit in morbillorum et variolarum morbis. Asthma verò nostrum raò aut nunquam fit epidemicum, nec contagione vulgatur. Morbum utrumque sæpe quidem comitatur febris, sed in pertussi non nisi post multos labores hæc tandem subrepit; febricula autem cum asthmate plerumque incipit, sub ejusdem exitu ferè decrescit, cum eoque penitus extinguitur: quodque maximum est, qui hoc asthmate tenentur, sæpe omnino tussi nullâ fatigantur: præterea cùm pertussis in plures sæpe menses perdurat, asthma hoc curriculum suum intra diem unum aut alte-

rum

rum conficit, licet ex novâ provocatione subinde recurset, etiam usque ad pubertatis annos. Illud tamen hîc non dissimulandum, pertussim sæviorem sæpe asthmatis hujus speciem quandam arcessere, quæ a nostratibus vulgo nuncupatur, *the Backdraught*, quasi tussis, e pulmonibus emissa, rursus revocaretur. Tunc nimirum, erumpit se clangor ille vocis, cum longâ inspiratione, ore aperto, rectâ cervice, et brachiis passis; adeo ut nonnunquam prorsus suffocetur æger. Atque hinc quidem pertussis inter causas censeri debet, quæ hanc asthmatis speciem inducunt: (ita tamen ut asthma sit symptoma quod, ut alteri interdum accedat, sic sæpe etiam absit). Facit etiam hoc ad confirmandum quod suprà attulimus, *sciz.* Asthma hoc ab omnibus causis provocari, quibus violentiùs afficitur larynx. Quin ex hoc exemplo, scire licet, quosdam, postquam ex ephebis excesserunt, hac specie teneri; cùm pertussis aliquando etiam natu majores incessat. Immo haud raró ipsi senes, diu vulgari asthmate afflicti, in hoc tan-

dem incidunt, ut et plerique convulsionibus diuturnis fatigati.

SECT. XIX.

Neminem puto paulo attentiorem asthma nostrum pro anginâ strangulatoriâ putridâ habiturum, licet huic quoque accedat rauca vox, et respiratio sæpe difficilis. Nostro enim morbo nulla adest putredinis nota; non erysipelas ad partes laryngi vicinas; nullus putrefactionis progressus per pulmones, nares, œsophagum, vel intestina; nulla denique membranarum corruptarum ejectio, aut halitus putris.

SECT. XX.

Jure tandem forsan aliquis qærat, qui fit, ut in hoc asthmate mors tam subitò et certa sæpe sequatur constrictionem laryngis, cùm hysterici, hypochondriaci, et ipsi epileptici, ex ejusdem constrictione, in deliquium solummodo cadant, unde semper ferè ad se redeunt.

Hujus

Hujus quæstionis solutio, ni fallor, pendet a naturâ, aliquatenus diversâ, horum spasmorum. Experimentis demonstratum est, spasmum a stimulo in loco aliquo excitatum, statim evanescere, si alio in loco itidem excitetur, ut notat experientissimus Baro Van Swieten, vol. ii. pag. 240. in aphorismos Boerhaavii. Quinetiam experientiâ comprobatur, spasmos istos errabundos, qui per corpus vagantur, nusquam fere diutius subsistere, ideoque ex iis minus esse periculi. Hujusmodi sunt hystericorum et cæterorum spasmi: verùm simulac laryngem, ubi impetus maxime sentitur, vis morbi invadit, protinus percellitur mens, et attonita quasi torpescit; sed pulmones interim nil mali patiuntur, et pergit sanguinis circuitio, ut ex pulsu scire licet, nisi fortè ipso temporis puncto, quo impetus in laryngem fit; confestim enim spasmi solvuntur, mens autem attonita ad tempus aliquod, et torpida jacet, omni curâ atque adeo cogitatione solutâ, quasi in gravem somnum delapsa; ex quo tamen ad se tandem redit, haud aliter quàm ex alto sopore expergiscitur homo.

homo. Ubi verò spasmus loco alicui affigitur et adhæret, majus subest periculum, nimirum, si pars ea vitalis sit; diutius enim tunc et vehementius urgere solet. In hoc autem asthmate, ipsa origo et sedes mali ad ipsam laryngem sæpe est, aut partes maxime vicinas; atque ibidem spasmi hærent et subsistunt, nec ultra vagantur, sed in laryngem incumbunt, eamque comprimunt, constringunt, claudunt, clausamque tenent, usque dum opprimitur infans; impeditâ, *sciz.* sanguinis circuitione; unde citissimè extinguitur vita; ut constat ex experimentis Halesii, viri celeberrimi, et harum rerum spectatoris elegantissimi.

Sed de hoc asthmate, pro exercitii hujus naturâ, satis multa.

FINIS.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
ALVI PURGANTIUM NATURA ET USU:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. ANDREÆ SHAW,

UNIVERSITATIS ANDREANÆ RECTORIS INCLYTI,

ET

S. S. THEOLOGIÆ PROFESSORIS;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu;

PRO GRADU DOCTORALI,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ANDREAS DUNCAN, A. M.

FIFANNUS.

Ad diem 18. Octobris 1769, hora locoque solitis.

Effectumque est sane, ut Materia Medica ad immensam nunc obscuramque molem increverit, postquam sanioribus veterum inventis admistæ illorum nugæ ad nos pariter descenderunt, quibus pol expurgandis, atque ut par est discernendis, non secus atque olim Augeæ stabulo, opus nunc est altero Herculo.

SIMSON DE RE MEDICA.

JACOBO DURHAM

DE LARGO

ARMIGERO,

PROPTER URBANITATEM ATQUE AMICITAM

QUIBUS SE SUOSQUE PROSECUTUS EST;

DISSERTATIONEM HANCCE,

GRATI ANIMI MONUMENTUM,

D. D. D.

ANDREAS DUNCAN.

ANDREAPOLI,
Prid. Id. Octobris, 1769.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ALVI PURGANTIUM

NATURA ET USU.

INTRODUCTIO.

In corporis humani conditionibus, uti vita et sanitas, ita morbus et mors inveniuntur; illa conservare, hæc depellere, cuicunque in voto est. Dum in prioribus igitur assequendis, summâ ope nitimur; in posterioribus quoque arcendis varia adhibemus auxilia, præcipuè autem medicamenta. Hinc, in disciplina medica, Materiæ Medicæ historia magni semper habenda est.

Medicamenta

Medicamenta in varias classes distribuerunt auctores: inter has omnes, nullius crebrior usus quàm eorum quæ alvum purgant. Summos igitur in medicina honores petenti, de his mihi imprimis disserere placuit.

Dum hoc pensum absolvere conamur, 1*mo*, Purgantium naturàm exponere decrevi: Qualia nempe sint; quomodo agant; quos effectus edant; et quatenus inter se discrepent. 2*do*, Illorum usum: Quando indicentur; quibus vetentur; quomodo eligenda; quæ denique cavenda sint.—De his igitur in ordine.

CAP. I.—DE PURGANTIUM NATURA.

SECT. I.—*Qualia sint.*

In homine sano, quotidie plerumque semel dejicitur alvus; aliis quidem naturâ tardior, aliis citior est; aberrationibus autem a naturæ norma consueta hinc illinc certæ imponuntur limites; his prætergressis, vel constipatio vel

purgatio

purgatio adesse dicitur. Omne verò medicamentum quod alvi motus ciere queat, purgantis nomine gaudet. Quum autem nihil ferè sit, quin vel quantitate vel qualitate talibus præditum sit viribus, et quum in praxi pauca tantum in hunc usum adhibeantur, nequaquam de omnibus agendum; et inter varia Cathartica de illis tantùm sermo nobis erit quæ in usum medicum propinantur. Per Purgantia igitur acceptum volumus, illa medicamenta quæ ore ingesta alvum commodè ciere queant.

SECT. 2.—*Quomodo agant.*

De purgantium agendi modo dum sermo incidit, observare licet indagare nos instituisse vires eorum, quatenus purgationem solummodo inducant.

Uti melius intelligatur quomodo ope medicamenti fiat purgatio, qua ratione naturaliter evacuentur intestinorum contenta paululum

expendere, a proposito haud alienum erit. Intestina tunicâ musculari prædita reperiuntur, cui stimulus semper præbetur per contenta in illorum cavitate; et cùm intestinorum ad motum maxima sit aptitudo, exinde oritur actio fere perpetua, motus nempè peristalticus, qui talis est ut ad intestina crassa, atque in ipsum denique rectum, quicquid resorptione supersit leniter propellat. Fæx autem ibi collecta, tum mole, tum pondere, tum acrimoniâ, molesta fit; imperio igitur voluntatis e corpore depellitur. Quo igitur celerior fit motus peristalticus, eo frequentior ducitur alvus, præsertim si materiæ congestæ talis sit indoles, ut facillimè rectum stimulet.

His præmissis, qua ratione fiat purgatio magis patebit: Id, medicamentorum ope tribus præcipuè modis perfici videtur; aucto nempè motu peristaltico, aucta in intestinis secretione, atque aucto denique stimulo ipso intestino recto applicato.

1. Purgantia

1. Purgantia motum peristalticum augent fibras intestinorum musculares stimulando ex acrimonia quadam quibus pollent; exinde quicquid intestinis inest velociter ad rectum perducitur.

2. Secretiones in intestinis augent, tum aucto motu peristaltico, tum ipso stimulo; hincque major moles quæ ad rectum deferri potest, et materies magis acris defertur.

3. Ipsum rectum afficiunt iisdem potestatibus quibus intestinis tenuibus stimulum præbent; ideoque materiem foras eliminandi conatus creant.

Nequaquam affirmatur, omnibus his modis omne purgans agere: vel uno autem fortasse vel pluribus evacuandi effectum gignunt.

Sect. 3.—*Quos edant effectus.*

Quomodo fiat purgatio jam docuimus; quæ sint ipsius purgationis effectus nunc indagandum: Nam, etsi purgantia multùm inter se discrepant, nonnulla tamen, omnibus ferè communia, hic loci recensenda sunt.

1. Intestinorum *contenta evcuant*: Id ipsa purgatione perficitur; cujus ratio jam tradita plus illustrationis nequaquam postulat.

2. *Fluidorum molem, seri autem præ cæteris, minuunt.* Cùm, quæ sit materies purgantibus evacuata respiciatur, nequaquam dubitandum quin, ex illorum usu, humorum quantitas minuatur. Quoniam autem sanguis humanus ex partibus conflatur dissimilibus, quantitas ejus minui potest, partium ratione vel mutatâ, vel eadem manente; et posterius fortassè evenit, quoties evacuatio alia ac sanguinis sinceri fit: At, quum catharticis tam diversi afficiuntur liquores,

liquores, bilis nempè, succus pancreaticus, gastricus, &c. quorum compositio parum innotescit, quæ mutatio in sanguine fiat, minime patet. Cùm autem reputetur quàm sit tenuis humor evacuatus, quàm subitò evacuatio fiat, ac qua denique vi ad serum congestum amovendum præstent purgantia, vix hærendum, quin plus justo, ad cæteras partes ratione habitâ, minuatur serum.

3. *Circulationis modum, atque exinde vasorum tensionem, mutant.* Sanguinis circulatio variis potestatibus simul conjunctis perficitur. Horum nonnullæ, verbi gratiâ, vis cordis et arteriarum, semper adsunt, et per totum corpus agunt; aliæ autem, irritatio scilicet partis cujusvis, vel musculorum ibi actio aucta, pro tempore, et in parte tantum, effectus edere possunt. Datâ igitur sanguinis celeritate per reliquum systema, impetus ejus in parte quavis major est minorve, pro vasorum irritatione et musculorum ibi actione. Quo autem major vasorum vis et fluidorum momentum in parte aliqua, eo magis fluida in partibus quæ

jam exceperunt confluent, et in mox acceptu-ris cumulabuntur; contraque, eo minus in vasa vicina ubi vis immutata manet, appellent. Cathartica autem, stimulo quo multùm pollent, tam vasorum quàm musculorum in intestinis actionem excitant, augent; ex quibus sanguinis copia ibi major, in vicinis, quibus actio aucta non propagatur, minor solito reddetur.

4. *Fluidi nervosi in intestinis motum cient.* De fluido nervoso multùm inter se discrepant medici; atque litem, adhuc sub judice, non nostrum est componere. Nervi autem, qui sensûs motûsque instrumenta sunt, multò facilius afficiuntur quàm aliæ partes; atque insuper ferè, procul dubio, tam musculorum quàm vasorum motus ex nervorum affectionibus oriuntur; haud dubitandum igitur quin cathartica, quæ musculos necnon ductus excretorios stimulant, in nervos quoque vim suam exerceant; neque, si illis fluidum mobile insit, id velocius agitetur.

5. *An*

5. *An perspirationem minuant?* Ita constitutum est corpus humanum, ut ad sanitatem tuendam fabricatio ipsa plurimùm inserviat. Id cùm in cæteris ferè omnibus observatum est, tum potissimum in secretionibus, è quibus, cum unius incrementum vel decrementum fit, alterius mutatio plerumque contraria evenit. Systematis autem æquilibrium imprimis perspiratione servatur; et, quàm mutuo se invicem compensent perspiratio et urina, nemini ignotum est. Tametsi igitur experimentis haud compertum habemus, similè inter perspirationem et alvi dejectiones intercedere commercium, opinio tamen veri quàm maximè similis est.

6. *An fluidorum crasin in ipsa fluida agendo mutent?* Omnes ferè Materiæ Medicæ scriptores purgantium vires, mutationes in humoribus perficere, quàm familiariter affirmant; at nullum, quod scio experimentum, nulla indubitata observatio, tales mutationes reapsè evincit. Haud pauca autem è contrario militant: nempè difficultas sanguinem intrandi, nihil

enim nisi quàm subtilissimum, atque fortassè nisi in ipso chylo solutum sit, lacteis resorbetur; difficultas mutationem perficiendarum; sanguinis enim copiæ mutandæ ad purgantis molem magna adeò ratio est, ut mutatio, si qua fortè fortuna ex purgantium usu sequeretur, quàm minima foret, et citò peritura evaderet. Porrò etiam, hæc qualis qualis mutatio, si ex nonnullorum, haud tamen ex longe plurimorum usu oriretur. Talem igitur purgantium effectum parvi faciendum esse videtur.

Sect. 4.—*Quatenus inter se discrepent.*

Purgantia in unam rediguntur classem; quia plurima vel nonnulla saltem inter se communia habent: Verùm in hac classe, æquè ac in cæteris, dum in aliis consentiunt, in aliis multùm inter se discrepant. Purgantium discrimen fit duobus præcipuè modis: 1*mo*, Ex virium gradibus quibus, quâ purgantia, prædita sunt; 2*do*, Ex aliis virtutibus vi ca-

thartica

thartica conjunctis. Hinc duplex oritur divisio, ordine nunc tractanda.

Virium discrimen omnes agnoverunt scriptores; hæcque Eccoproticorum, illa Drasticorum, nominibus designaverunt. Melior fortassè fieret divisio in Mediocria, Leniora, Fortiora: Per mediocria intelligimus illa quæ dosi modica alvum facilè et frequenter fundunt: Per fortiora, illa quæ dosi minima et frequentissime, haud sine ventris torminibus, alvum vehementer dejiciunt: Per leniora, illa quæ dosi maximâ alvum, plerumque sine ægri molestia, leniter solummodo solvunt. Sub his generibus omne purgans comprehendi potest; quæ sub singulis continentur, ex Materiæ Medicæ historia facilè colligi queat.

Cùm observatio ubique monstrat, atque experientia quotidie confirmat, purgantia diversa diversis facultatibus prædita esse, quas, purgatione nihilosecius, exercere perstant, ex his, distributio in ordines secundum naturam,

praxin

praxin medicam ineunti, magni certè emolumenti foret.

In tali divisione, quot ordines ritè institui debeant, parùm nobis compertum est; inter alios autem sequentes primum locum jure tenere videntur: Horum igitur historiolam, atque individuorum quæ sub singulis comprehenduntur exempla, ex his quæ præcipuè in praxi propinantur, hic subjungam.

1. CATHARTICA STIMULANTIA. Omne catharticum alvum ciet stimulo quodam ex acrimonia plerumque orto, sui tamen generis stimulo; multa enim acria nequaquam purgant, et plurima purgantia, pro acrimoniæ gradu quem planè indicant, minimè alvum dejiciunt; quibus igitur hæc acrimoniâ catharticâ insit, si illis simul alia sit acrimonia, a cæteris purgantibus effecta longè diversa edent. Sequentibus se maximè monstrant: Gustui acria sunt; in vini spiritu solvuntur, cui cùm immiscetur aqua, color albidus evadit; parvâ dosi operantur; tardè alvum ducere incipiunt; ventris tormina

tormina excitant; plerumque vehementer atque abundanter evacuant; dum facultates exercent, arteriarum pulsus accelerant; sitim accendunt; calorem augent; atque, operatione peractâ, alvum haud strictiorem reddunt. Hujus ordinis exemplâ sunt illa præcipuè quæ resinam continent, jalapium nempè, rhamnus catharticus, aloë, gambogia, colocynthis, scammonium, &c.

2. Cathartica refrigerantia gustui plerumque salina sunt; vires aquæ reddunt; purgationem inducunt dosibus tantummodo majoribus; liberè et celeriter agunt; tum celeritatem tum robur arteriarum ictus minuunt; corporis calorem extenuant; operatio citò peragitur, atque tunc alvus haud stringitur. Ad hunc ordinem referenda sunt purgantia salina; salia præcipuè neutra; Glauberianum nempè, polychrestum, Rupellense, cremor tartari, aquæ acidulæ purgantes, atque ipsa fortassè aqua marina.

3. Cathartica

3. CATHARTICA ADSTRINGENTIA sapore vim astrictoriam præbent; cum aqua tum spiritu vires eorum extrahuntur; aquâ solutis addito ferro, color citò niger evadit; illorum dosis incerta potius parva; nec pulsum accelerant, nec calorem augent; operatione peractâ, alvum strictum relinquunt. Hujus ordinis exempla sunt rosa damascena, polypodium vulgare, linum catharticum, rheum palmatum, &c.

4. CATHARTICA EMOLLIENTIA gustui plerumque dulcia, mitia, blanda, haud infrequenter subacida sunt; fibram animalem, sive vivam sive mortuam, emolliunt; magna tantum mole effectus purgatrices edunt; solida nec soluta plerumque exhibere necessum est; plurimorum vires aquâ extrahuntur, nonnullorum, imperfectè tamen, vini spiritu; tardè quoque et leniter alvum solvunt; tormina nunquam excitant; sitim compescunt; calorem præternaturam auctam minuunt; atque purgatione finitâ alvum laxiorem linquunt. Huc referenda sunt illa præcipuè purgantia quæ saccharo, oleo, vel mucilagine abundant; inter alia,

manna,

manna, prunus, tamarindus, malva, oleum olivarum, atque oleum ricini, recensenda sunt.

5. Ordo fortassè institui possit ex his quæ vim narcoticam vi catharticæ conjungunt. Cicuta nempè aquatica, nicotiana, hyosciamus, digitalis, &c. Quoniam autem quæ huc referenda sint raró vel nunquam ad alvum purgandum in praxi adhibentur, hunc sedantium ordinem meminisse sufficiat.

II. De purgantium usu.

Sect. I.—*Quando indicentur.*

Cùm de purgantium usu agitur, quæstio præ cæteris fit de indicationibus curatoriis quibus explendis aptantur: Atque hic primò, indicationes quæ ex præmissis fluunt tradere, secundo, quatenus his peragendis accommodantur indagare adnitar. Jam docuimus purgantia diversimodè agere.

A. Quasi evacuantia; alvi contenta eliminando, fluidorum circumeuntium in vasis molem

molem minuendo, e quantitate tum totius tum præ cæteris partis serosæ abstrahendo. Hinc in corpore morboso, quando opus est, exhibentur:

1. Ad intestinorum contenta eliminanda;

2. Ad fluidorum molem generatim minuendam;

3. Ad fluidi serosi accumulationes detrahendas.

B. Quasi derivantia; fluidorum cursum in intestinorum vasis augendo, sanguinis fluxum in illis quibus stimulus non diffunditur minuendo, exinde indicantur,

4. Ad liberum sanguinis fluxum per intestina promovendum.

5. Ad vim ejus in corporis partibus diversis minuendam,

C. Quasi nervos afficientia, stimulo, suo fluidi nervosi motum in intestinis ciendo, sensibilitatem insolitam amovendo, porrò, in usum vocantur,

6. Ad torporem in fibris intestinorum muscularibus amovendum.

7. Ad motus effrænos in iisdem sedandos.

1. Intestinorum

1. Intestinorum contenta evacuantur, ut obviam eas malis profluentibus a fæcibus, scybalis, abundanti colluvie, corporibus extraneis in intestinis coacervatis: talis evacuatio præcipue fit purgantibus; et quot in morbis in hunc usum ea propinentur, ex omni ferè auctore de praxi medica videre est. In febribus nempe inflammatoriis, * intermittentibus †, in iliaca passione ‡, dysenteria ||, vermibus intestinorum §, &c. ¶ Purgantium ordinem huic indicationi maximè accommodatum, monstrabit

---

* Sydenham de Morbis Epidemicis. † Ibid.

‡ Lieutaud Synop. Univ. Prax. Med. p. 214.

|| Pringle's Observ. on Dis. of the Army.

§ Van Swieten Com. in Boer. Aph. t. iv. p. 736.

¶ Vir eximius, mihique amicus conjunctissimus, Jacobus Hamilton senior, Nosocomii Regii Edinburgensis, medicus primarius, opus utilissimum nuper edidit, cui titulus, "Observations on the Utility "and Administration of Purgative Medicines in se-"veral Diseases," 8vo, Edinburgh, 1805. In hoc opere clarè monstravit multa obtineri posse commoda ex intestinorum plena evacuatione in variis morbis medendis, præsertim in Chorea et Hysteria.

A. D.—(1809).

bit ægri conditio; præ cæteris autem, emollientia atque refrigerantia in usum vocantur.

2. Fluidorum moles ad varios usus minuitur, variis quoque rationibus minui potest. Ubi autem neque satis fidendum subitò, citò tamen, evanescenti effectui venæsectionis, neque stabili, pigræ tamen mutationi quæ a victu tenuiori fit, purgantia, quæ neque tardè neque injucundè agunt, omnibus sæpissimè anteponenda videntur. Hinc celebrantur in morbis inflammatoriis, angina *, phrenitide †, variolis ‡, et in apoplexia ||, epilepsia §, &c. In hanc indicationem refrigerantium ordo, atque, ubi abest inflammatio, stimulantium conducunt.

3. Exitus quidem e corpore serosæ fluidorum parti urinæ viis patet; cùm autem reputetur,

---

* Sydenham de Morbis Epidemicis.
† Lieutaud Synopsis, p. 15.
‡ Mead de Variolis, p. 37.
|| Van Swieten Com. t. iii. p. 298.
§ Ibid. p. 441.

tetur, medicamenta, quæ hanc excretionem augent, minùs certè agere, haud mirandum quare purgantia primum quasi remedium ad accumulationes serosas detrahendas semper habeantur, neque hinc usum illorum ferè quotidianum esse in diversis hydropis speciebus *, in asthmate humido †, &c. Ad hanc indicationem satisfaciendam stimulantia præcipuè propinantur.

4. Cùm sanguinis transitus per intestina deficit, idem vel cordis vel ipsorum tantùm vasorum actione auctâ promoveri potest: Sin autem, cæteris paribus, hoc pro regula generali in medicina ponatur, medicum nimirùm, quo minùs a natura aberret, eo melius officium exsequi, tunc actio cordis aucta vasorum actioni auctæ longè postponenda est. Omni autem stimulo intestinis applicato, vasorum ibi actio augetur; nihil tamen feliciùs hunc effectum edit, nihil tutiùs catharticis, quæ vi purgativâ, ne stimulus plus justo in intestinis

 remoretur,

* Monro on the Dropsy.

† Lieutaud Synopsis, p. 178.

remoretur, prohibent; ideoque laudantur in mensium suppressione *, scorbuto †, paralysi ‡, similibusque aliis: ad hoc consilium absolvendum ex catharticorum classe stimulantia præcipue propinantur.

5. De derivatione et revulsione, post gravissimorum virorum per multa secula certamina, adhuc sub judice lis est: hoc autem certe scimus, systematis tensionem pendere a certa sanguinis quantitate, datâ ratione singulas corporis partes circumeuntis. Ubi igitur immutatâ sanguinis quantitate, ratio ejus in partem quandam augetur, vel in omnibus aliis, vel in nonnullis saltem, minuetur. Stimulo autem vasis quibuscunque applicato, augetur illorum actio; augetur exinde fluidorum ibi circumeuntium ratio. Tale stimulum præbent purgantia, atque hoc modo vim sanguinis in partibus corporis diversis minuunt:

Hincque

* Van Swieten, Com. t. iv. p. 441.

† Ibid. t. iii. p. 624.

‡ Ibid. p. 384.

Hincque propinantur in apoplexia *, epilepsia †, ophthalmia ‡, mania ||, &c. Purgantium ordinem huic usui accommodatum ægri conditio monstrabit; vel stimulantia autem vel refrigerantia frequentissimè usurpantur.

6. Stimuli musculo applicati, nisi in tali ejus conditione ut omninò immedicabilis sit ad munera perdita recuperanda, optima certe sunt remedia: Ubicunque igitur adest torpor, haud dubitandum quin statim exhibeantur; ex magna autem stimulantium caterva, pauci tantum intestinis tutò applicari possunt. Illorum emolumenta haud infrequenter catharticis pulcherrimè impetrantur; exindeque in paralysi §, hypochondriasi ¶, similibusque, adhibentur. Ex stimulantium ordine ad hunc

 scopum

* V. Swieten. Com. t. iii. p. 298.

† Ibid. p. 441.

‡ Sydenhami processus integ.

|| V. Swieten. Com. t. iii. p. 532.

§ V. Swieten. Com. t. iii. p. 384.

¶ Lieutaud Synopsis, p. 92.

scopum attingendum, purgantia omninò desumuntur.

7. Motus præter naturam in intestinis, nullo stimulo applicato, ex ipsius partis sensibilitate auctâ, haud raró oriuntur. Quæ sit partis mutatio sensui maximè disponens, haud satis compertum est; musculorum autem mollities quædam, causa necne, frequentissimè comes ejus existit; medicamenta itaque apprimè conducunt quæ fibrarum robur augent, et nervorum sensibilitatem obtundunt, si simul omnem stimulum amoveant: Hinc purgantia adhibentur; exindeque illorum usus in diarrhœa *, exempli gratiâ, huic indicationi ex adstringentium ordine maximè aptatur.

§ 2. *Quibus vetentur.*

Ex dictis patet, haud sine ratione purgantia frequentissimè usurpari. Nonnunquam tamen,

* Lieutaud Synopsis, p. 218.

men, vice malorum leniminis, oleum quasi camino addunt: Quibus igitur in casibus nocumento sint, nunc indagandum. Hic autem observare liceat, medicamenta tam varia in hac classe contineri, ut nulla ferè sint symptomata morbosa quæ in omni casu totam classem contraindicant: quod de purgantibus in genere igitur hic dici possit, illis, vel cum omnibus aliis medicamentis, vel cum tota saltem evacuantium turba, commune est; atque ex ordinum potiùs effectibus contraindicationes indagandæ sint.

De tota hac classe supervacaneum esset dicere, purgantia nunquam usurpanda esse si nihil boni promittant; neque per illorum usum ægro tantùm morem gerere velit medicus, si morbi curatio aliis medicamentis citiùs, tutiùs, feliciùs, perfici queat; si denique adsit maxima inanitio vel summa debilitas, ubi omnis evacuatio damni foret: Quando res ita se habeat, ab eorum usu medicus jure abhorreret, atque ad alia confugeret.

Missis autem quæ magis universaliter dicantur, maximè nocent purgantia, atque exinde contraindicantur, ubi eædem illæ mutationes quas gignere valent jam adsunt: Ubi, exempli gratiâ, adest pulsus citatior, atque calor auctus, damnum adferunt stimulantia; ubi alvus dura, adstringentia; ubi nimia intestinorum laxitas, emollientia; ubi denique circulatio languida atque corporis calor minutus, refrigerantia. Si quis autem de his ampliùs scrutari velit, consulat quod de ordinum facultatibus jam dictum fuit, quodque hic reiterare longum esset.

§ 3. *Quomodo eligenda sint.*

Postquam omnia ritè scrutati sumus, si compertum habemus, curationem purgantium ope instituendam esse, quis præcipuè ex tota hac classe maximè votis respondeat, mox indagandum. Dum nobis quæstio fuit, Quando indicentur purgantia, breviter monstrare conati sumus, qui ordines singulis indicationibus maximè accommodentur: nonnulla tamen hic ampliùs observanda restant.

De

De hac re dum consulitur, hæc tria præcipuè medici judicium dirigant: Natura mutationis in corpore ægri requisitæ; gradus ad quem mutatio hæc necessaria fit; atque denique habitus ægri.

Ex mutationis natura nobis innotescit ordo ex quo catharticum depromere oportet: ex ejusdem gradu res specialis illius ordinis quo uti decet; ex habitu denique ægri alia discrimina oriuntur. Haud desunt enim idiosyncrasiarum exempla in quas tota hæc classis effecta parùm consueta gignit; alii ordinibus quibusdam speciatim afficiuntur; ac alii denique a singularibus nonnullis jure abhorrent.

Dum, ex natura mutationis requisitæ, de ordine ex quo catharticum depromere oporteat fit judicium, dubio tramite errat, et incerto ducitur filo, qui non ante oculos habeat omnia effecta ordinis: ex tali enim conspectu solummodò judicare possumus, qui ordo cæteris anteponendus sit: Haud raro enim acci-

dit, purgantium ordinem, uti certus attingatur scopus, unâ ratione aptissimum, alterâ ineptissimum, videri. Sic stimulantia, quæ acrimonia majori prædita majorem intestinis irritationem excitant, maximèque ibi vasorum actionem augent, imprimis accommodata viderentur ad sanguinis vim in parte aliqua externa inflammatione laborante minuendam. Cùm autem reputetur, stimulantia arteriarum pulsus citatiores reddere, corporisque calorem augere, vix hærendum quin mala exinde profluentia commodis haud compensarentur.

Ordine sic indagato, ad individui electionem mox progrediendum: Si ordo quisque ex pluribus conflaretur, inter quos, nisi quatenus virium gradu discreparent, nihil vel paululum interesset, ex gradu mutationis requisitæ electio omninò fieret; quoniam autem nonnunquam eveniat, in ordinibus, ut videtur, quàm maxime ad naturæ ductum conflatis, individuos haud rarò dissimiles esse, ad singulorum proprietates, quatenus eas ex historia vel ex

usu

usu proprio assequi possumus, respicere oportet.

Si experientia nos certiores fecerit, catharticum quodcunque cuique homini noxium esse, etsi ex regulis jam traditis omnibus fortè anteponendum videretur, haud dubitandum quin usum ejus in tali viro vitare debeamus; porrò denique, de aliis speciebus, speciei noxiæ quàm maxime similibus, eodem modo agendum, nisi, priori tentamine teste, aliter se res habere comperiatur; ægri igitur idiosyncrasiam quoque respicere debemus.

§ 4. *Quæ cavenda sint.*

Ad ultimum nunc quod in hac dissertatione proposui me accingam. Etsi enim morbis purgantia diversimodè obstant, nequaquam tamen, quasi nullum adferre damnum penes ea esset, præscribenda sunt. In hoc absolvendo, primo, quæ in dosibus singulis dandis, secundo, quæ

quæ in usu quotidiano servanda sint, exponere conabimur.

Quæ in purgantibus una tantùm vice adhibitis servanda sunt, ea potissimùm ad ægri conditionem, cathartici naturam, vitæque regimen, respiciunt.

Sub ægri conditione, consideranda veniunt morbi natura; ægri ætas, sexus, temperamentum; ejusdemque indoles singularis.

De morbi natura observandum est, morbos plurimos acutos præsertim exacerbationes remissionesque pati: Nunc ægriùs, nunc faciliùs, medicamenta ægri ferunt; convenit autem illo tempore medicamentum propinare, quod facillimè ferant. In ventriculi morbis nonnullis haud raró evenit, ut, quicquid sub fluidi forma ore ingeritur, statim vomitu ejiciatur: E contra, ubi deglutitio difficilis est, nonnunquam accidit ut fluida solùm ingurgitare possit æger: Formulam autem ægro aptissimam præscribere oportet. In morbis nonnullis,

nullis, intestinis irritabilitate insolitâ præditis, parva tantùm dosi opus est; in aliis, ubi paralysi laborant, stimulus non solùm fortior, sed etiam permanens exigitur; dosin autem ægro maxime accommodatam adhibere decet. Quomodo igitur morbi natura monita præbeat, de adhibendi tempore, cathartici formula, doseosque quantitate, liquidissimè constat.

Nunc ad ea ventum est quæ ab ægri ætate, sexu, temperamento, pendeant. Systemata magis irritabilia sunt pueris quàm adultis, fœminis quàm viris, hysterico * quàm hypochondriaco morbo laborantibus; atque ita de cæteris: Ex his igitur, similibusque aliis augenda, minuenda, diversimodè mutanda, tum dosis tum forma medicamenti.

Ad

* Celeberrimus medicus Edinensis Cullen, in prælectionibus suis pulcherrimis clinicis in Nosocomio Regio habitis, diagnosin inter hos morbos, antea ab Hoffmanno attactam, sed postea ferè prætermissam, clarè demum instituit, atque in ipsis ægris demonstravit,

Ad ægri indolem singularem quod attinet: Haud desunt exempla ubi idiosyncrasia particularis communem naturæ ordinem quasi conturbat, adeò ut hic purganti facilè, ille difficulter, moveatur; unus statim, alter longiori tantùm interposito intervallo, afficiatur; alius fluidam, alius solidam formam, potissimùm requirat; ut nunc denique manè, nunc vesperè, nunc pleno nunc vacuo ventriculo, propinare oporteat, secundum ægri habitum, præjudicium, ventriculum: Quantum igitur ægri indoles medico facienda sit, supervacaneum est dicere.

Post ægri conditionem, proximum sibi locum vindicat ipsius cathartici natura; ad quem pertinent dosis, quantitas, exhibendi tempus, atque adhibendi denique formula.

Dosis nimis magna hypercatharsin creat; nimis parva, e contra, nihil boni gignit. Primo conspectu autem omnibus innotescit, medicamentorum dosin justam, experientia tantum magistra, constitui posse; est quidem cur crederemus,

crederemus, omnium sæculorum praxin, hanc indagationem, tam utilem, jam extra omnem dubitationis aleam constituisse: Quotidie autem certiores facti sumus, maxima * profluere commoda a dosibus nonnullorum medicamentorum multo majoribus, quàm praxis medica unquam antea exhibuerit. Effectus e contra ab aliis tutissimè † efficacissimèque gigni asseverantur, dosi vel minima atque antehac omni mutationi impari judicata. Cùm autem reputetur, quanti sit in hac classe dosin accuratissimè aptare, summam medici curam hanc rem mereri nemo inficias ibit.

Systema ad diurnam quandam revolutionem actionum ejus, consueto vitæ curriculo affertur; hinc vicissim fiunt somnus, vigiliæ, ingerendi

* Antonius Fothergill, medicus apud Northampton, experimentis quàm plurimis in Nosocomio ibi habitis, atque cum Societate Medica Edinensi per epistolas communicatis, hoc amplissimè probavit.

† Pye on Ipecacuan, London Medical Observations.

ingerendi egerendique tempus. Horum interruptio, si non ad morbi curationem, ad ægri certè damnum ducit; omni modo igitur vitanda, etsi purgantia nullo non tempore tutè satis adhiberi queant, tamen, ubi nihil contra militat, ita semper calculus instituendus est, ut tum effectus suos edant, cùm ægri systema minime conturbent. Intestina nunc plena nunc vacua variè affici aptantur; quum autem illo tempore quo facillimè effectus gignit catharticum propinare convenit, hujus rei quoque ratio habenda est. Ex illis fortassè deducitur mos ferè universus purgantia manè, adhibendi, vacuoque adhuc ventriculo.

Quanti faciendum sit formula quâ catharticum propinatur, trutinanti medicamentorum historiam facilè patebit; nonnulla aptissimè sub solidi forma agunt, alia ritè tantùm diluta propinare fas est. Monita igitur exinde profluentia ipsius medicamenti historia edocebit. Doseos moles neque tam magna esse debet ut fastidium creet, neque tam parva ut haud facilè propinari possit. Siquando medicamentum

camentum occultare necesse sit, hæc imprimis vitanda quæ colorem in excretionibus manifestant, ne variis ægri opinionibus fundamentum præbeant. Cæteris paribus, ægri gustus atque opinio apud medicum valere debent.

His de ægri conditione atque cathartici natura traditis, nunc postremò sub hoc capite pauca de vitæ regimine addenda restant.

Haud opus est fortassè commemorare, dum catharticum effectum suum edit, regimen sano corpori idoneum nequaquam adhibendum esse. Dum hujus classis medicamentum exhibetur, regimen omnibus quodammodo commune satis cognitum est. Observare sufficiat, quod plerumque quàm tenuissimum est, atque præcipuè conflatur ex diluentibus atque emollientibus, jusculis nempè pullorum, infusionibus theæ, salviæ, melissæ, decoctis avenaceis, hordeaceis, sero lactis, &c.

Hæc

Hæc in usum advocantur, quia medicamentum aliquatenus adjuvant, et torminibus atque siti obviam eunt: Hoc regimen autem non omnibus æquè convenit; quando verò, atque quatenus, a norma generali aberrandum sit, medicus discat ex cathartici natura quæ adhibetur, atque ex morbo quo laborat æger. Si nempè, exempli gratiâ, purgans adstringens daretur, intentio medici per nimium laxantium usum omninò frustraretur. Si porrò æger hydrope laboraret, nimia fluidorum ingurgitatio aliena esset. His igitur, dum de regimine agitur, attendere debet medicus.

Hactenus de dosibus singulis, de usu purgantium quotidiano, pauca subjicienda restant. Intestinis diu assuetis nullum exercere motum, nisi juvante stimulo extraneo, stimulus a natura paratus effectui impar citò evadit; atque hinc oritur ægro vel alvus tarda, vel purgantium usus quotidianus: Hujus incommoda haud nihili habenda sunt: illius nec pauca nec parva; quum ægrum torminibus, intestino-

rum

rum inflammationibus, atque ipso ileo, subjiciant. Catharticorum opere, materies serosa e corpore eliminatur; usu eorum quotidiano hæc evacuatio habitualis fit, haud sine molestia continuanda, haud sine periculo reprimenda. Catharticorum, contra, usu quotidiano exitus longè diversus nonnunquam evenit; fibra enim animalis talem adipiscitur irritabilitatem, ut stimuli vel mitissimi motus quàm vehementes creent. Tales igitur exitus, quantâ possumus diligentiâ, vitare debemus; hinc properè nimis, vel inconsultè, nequaquam adhibenda sunt purgantia: Sin autem nihilosecius effectus a quibus cavendum est advenerint, catharticorum usus omittendus; sin aliter medendi ratio expleri nequit, in tempus quoddam proferendus est.

Cæteris utcunque exactis, restat ut gratias agamus iis qui studia nostra benignè adjuverunt.

Primò verò gratiæ quàm maximæ debentur Almæ hujus Academiæ Professoribus, quorum

rum sub auspiciis literarum atque artium studio primùm incubui, et e quorum manibus alios Honores Academicos jam accepi: Tum quoque Professoribus Medicis Academiæ Edinburgenæ, quorum prælectionibus per quadriennium interfui: Atque denique Societati Medicinæ Studiosorum Edinensi, ubi me Socium fuisse, læto gratoque animo semper recordor.

Erat autem Vir, THOMAS SIMSON, quondam inclytus in hac Universitate Medicinæ Professor, de quo, eloquar an sileam, multùm hæreo. Ille amicitiâ integerrimâ et amore ferè paterno, ad extremum usque vitæ ejus terminum, studia nostra assiduè fovebat regebatque. Laudare eum pro eo ac meritus est, nedum famam ejus altiùs evehere, haud nostrum. Qualis erat, testantur ipsius scripta; testantur maximorum hujus sæculi Medicorum præconia, MORGAGNI, SWIETENII, HALLERI, aliorumque. Ut vivum amavi, sic mortuum lugeo: liceatque, LECTOR BENEVOLE, dum huic dissertationi finem impono, his eum cumulare donis, atque inani munere fungi!

DE LAUDIBUS

GULIELMI HARVEI

ORATIO,

HABITA IN ÆDIBUS ACADEMIÆ MEDICÆ, PROPE AULAM COLLEGII REGII CHIRURGORUM EDINBURGENSIS,

Ipsis Calendis Aprilis 1778,

DUOBUS JAM ELAPSIS SECULIS AB IPSIUS NATALI.

AUCTORE

ANDREA DUNCAN, M. D. &c.

COLLEGIO REGIO

MEDICORUM LONDINENSI,

HÆC QUALIACUNQUE

IN SOCII BEATI MEMORIAM,

SUMMA VENERATIONE

DICAT

ANDREAS DUNCAN.

ANDREAS DUNCAN,

LECTORI

S.

SEQUENTES paginas, Lector Benevole, ex proprio penu nequaquam deprompsi. Tum verbis tum sententiis Virorum illustrium ubique ferè usus sum; atque ex illorum copiâ inopiam meam sublevavi. Horum igitur haud mihi fas est, ferre honorem. Attamen si inceptis laudatio sit decernenda, benevolentiam indulgentiamque tuam exoptare licebit. Mendas vel corrigas, vel condones, enixè precor. Molimina nostra æqui bonique consulas, oro obsecroque. Vale.

EDINBURGI,
Prid. Cal. Maij 1778.

Ex quo Illustrissimus HARVEUS circularem sanguinis motum novum jam in medicina fundamentum invexit, nihil mirum, si neoterici, diruto caduco ædificio, prope novam instaurandam curaverint artem medicam.

BONETUS.

DE LAUDIBUS

GULIELMI HARVEI,

ORATIO.

Medicinæ Doctores ornatissimi,
Chirurgi solertissimi,
Artis salutiferæ Studiosi generosissimi,
Auditores denique humanissimi,—

NULLA re, ut præclarus olim observavit Philosophus, homines ad Deos propiùs accedunt, quàm salutem hominibus dando. Pulchrum igitur, imò honorificum esse, de arte medendi benè mereri, nemo certè inficias ibit. Atque benè meritos etiam laudibus prosequi haud absurdum. Hodiernus verò dies luculentissima virtutum exhibet exempla; et latissimum Oratori videtur præbere campum, ubi discurrere liceat auditores oblectando, pariter-

que

que monendo. Volventibus enim annis denuo redit illustrissimi HARVEI dies natalitius. Duo jam elapsa sunt secula, ex quo sanguinis circulationis Inventor vitalem primò hausit auram. An ullus magis laudibus affici meretur, quàm ille, qui orationem instituit annuam in commemorationem aliorum, qui beneficiis suis in rem medicam claruerunt? cujus, quæso, memoria ad seros etiam nepotes magis accepta descendere debet, quàm illius, qui tot vivus peregit, tot mortuus perfecit?

Exspectatis igitur forsan, quotquot adestis, auribus arrectis, animisque intentis, disserentem protinùs audire hodiernum concionatorem de primâ origine, summâ utilitate, atque denique post homines natos maximâ dignitate, inventi *Harveiani.* Non omnia tamen possumus omnes. Neque mihi nunc convenit in æquore magno ventis vela dare. Haud multis igitur nunc opus, cùm in hoc sermone de vitâ, inventis, ac meritis illustrissimi HARVEI breviter in animo sit disserere. Atque, si quantùm cuperem, possem quoque, haud nunc deficeret oratoria commendatio. Non tamen dubitandum,

dum, quin apud cordatos molimina etiam laudi fuerint. Est quodam prodire tenus, atque in magnis saltem voluisse, si non datur ultra. Haud dubito igitur, quin nostros defectus indulgentia vestra facilè excusatos habebit, cùm festinante atque impari calamo rem tantam aggrediamur.

Vos igitur, Auditores optimi, oro, obsecroque, cœptis adspirate meis; favete linguis; atque benignè nunc accipite, quæ de viro celeberrimo in medium proferre decrevi.

Natus est GULIELMUS HARVEUS, stemmate haud ignobili, *Folkstoniæ*, in agro *Cantii*, ipsis Calendis Aprilis, anno post CHRISTUM natum millesimo quingentesimo septuagesimo octavo. Literarum humaniorum elementa in scholâ publicâ *Doroverni* primùm didicit. Exinde, annum agens decimum quartum, academiam *Cantabrigiensem* petivit. Posteà apud exteras regiones medicinæ studio incubuit. Inter alios doctores, apud gymnasium *Patavinum* viri celeberrimi FABRICII AB AQUAPENDENTE prælectiones

prælectiones audivit. Studiorum curriculo tandem obito, Medicinæ Doctor creatus est.

Laboribus academicis ita peractis, haud sine industriæ atque ingenii laudibus, sub proximi seculi initium, artem medicam exercere, docere, atque adaugere, *Londini* aggressus est. Annum agens circiter vicesimum sextum, frequenti studiosorum concursui corporis humani structuram exposuit. Prælectiones ejus anatomicæ, eo tempore, propriâ manu exaratæ, in Bibliothecâ Musei Britannici adhuc exstant. In iis sanguinis gyrum primus exploravit, detexit, patefecit. Rem tanti momenti etiam juvenis invenit, perfecit, edidit. Post paucos annos, exercitatio ejus, de Motu Cordis et Sanguinis, typis excusa, publici juris facta est. Talibus argumentis hanc doctrinam stabilivit, ut nemo facilè de veritate ejus dubitare potuerit. Inter eruditos, et cordatos viros Riolanus, tunc in Academiâ *Parisiensi* Professor Regius, et Ludovici *decimi tertii* Medicus primarius, ei fidem ferè solus non habuit. Experimenta tamen speculationem citò superant;

rant; atque opinionum commenta veritati tandem cedunt. Nemo igitur inventum *Harveianum* de sanguinis circuitu nunc negabit. Atque, quod paucis quidem evenit, adhuc vivens novam hanc suam doctrinam ab omni ingenuo et sapienti Medico ubique terrarum lubenter receptam videbat.

Haud deerant tamen apud æquales ejus quidam vituperatores, qui hoc inventum antiquissimis etiam Medicis tributum volebant. Quo longiùs autem distat insignis aliqua virtus, eo minùs fulgore urit, nec tamen debiliùs lumen spargit. Ubi igitur hominum invidiam atque odium mors tandem extinxerat, ingenium admirabile HARVEI pulcriùs multò enituit. Neque in præsenti seculo quisquam dubitare audet, quod de hoc œconomiæ animalis vitali motu ante illum ne vel somniaverint Medici. Insignem igitur impetravit coronam, unde prius nulli velarunt tempora docti.

Laudare autem inventum ejus pro eo, ac meretur, haud nostrum, nec tali auxilio nunc eget.

eget. Sufficiat dicere, quod philosophiæ corporis humani fundamentum posuit HARVEUS; atque fabricam ipsam exstruendi facultatem posteris dedit.

Summis sic affectus honoribus, haud tamen reliquam vitam silentio transegit; sed medicinæ studio indefessus incubuit. In medium postea protulit præclaras Exercitationes de Generatione Animalium. Ibique intima ferè naturæ penetralia invadens, vitæ fomitem incredibili acumine indagavit. Sententiam docuit, quæ nunc eruditis atque ingeniosissimis nonnullis viris apprimè arridet. Ut verbis enim ipsius utar, "Vita in sanguine consistit, ut "in Sacris nostris legimus, quippe in ipso vita "atque anima primùm elucet. Clarè enim "constat, sanguinem esse partem genitalem, "fontem vitæ, primùm vivens, et ultimùm "moriens; sedemque animi primariam, in "quo, tanquam in fonte, calor primo et præ-"cipuè abundat, vigetque, et a quo reliquæ "omnes totius corporis partes calore influente "foventur, et vitam obtinent."

Nec

Nec magis enituit HARVEUS Auctor magni nominis, quàm Professor celeberrimus. *Londini* enim munus Præceptoris gnaviter obeunti omni anni tempestate magna auditorum frequentia semper adfuit.

Feliciter præterea apud cives artem salutiferam exercuit; atque *Magnæ Britanniæ* Regibus, tum JACOBO, tum CAROLO, Archiater creatus est. Sub hoc autem tempus, tetra discordia civium ardorem incendens, funestum miserrimumque bellum commovit. Medicus fidelis Regii Domini fortunam insequens urbe expulsus est. Atque, dum inter arma commilitonibus salutem dabat, ferro atque igne ingenii proles periit. Quæ summo acumine, summâque industriâ, exploraverat, literisque mandaverat, heu nefas! expoliatâ domo ejus, crepitantibus uruntur flammis.

Agris verò tandem pacatis, *Londinum* rediit, ibique Medicorum omnium seculi sui apud *Anglos* princeps facilè habitus est. Collegii Regalis *Londinensis* decus atque gloria exstitit;

tit; liberisque sociorum suffragiis, ad Præsidis officium evectus fuit. Sed annis laboribusque labefactatus, honorifico hoc munere ætate magis integris cessit; benevolentiam tamen erga socios abundè monstravit. Collegii enim ædes locupletavit, ornavitque. Senaculum et Museum condidit, Bibliothecam propriis sumptibus instruxit; atque demum, exemplo propè inaudito, in pleno sodalium conventu, patrimonio suo se sponte exuit, ut etiam, dum ipse viveret, hæreditas illa ad collegium pervenerit. Non aurum, non argentum, non lapides perlucidos, non fasces, non purpuram, quæsivit. Sed imprimis in votis fuit, ut animi posteritatis medicæ, famâ gloriâque majorum accensi, ad omnem scientiæ laudem, omniaque humanitatis officia, provocarentur.

Sic vixit Harveus, atque tandem, annos natus circiter octoginta, minimè quidem viridis, obiit. Tertio enim nonas Junii, anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo, vitam cum morte commutavit. Atque si ætas perfecta, vita haud minùs perfecta. In nullâ

enim

enim parte cessavit. Sed boni medici, boni amici, boni civis officio, ad extremum usque functus est.

Ut vivus amorem sodalium sibi conciliabat, sic mortuus summâ cum veneratione semper memorandus. Adhuc enim inventis et consiliis ovantem patriam, imo scientiam medicam, fovet et ornat. Neque deerit, ut spero, post mille secula, qui viri de re medicâ optimè meriti res gestas memorabit. Manet adhuc honos, nomenque, laudesque, semperque manebunt.

Mihi quidem jucundum foret, et vobis fortassè haud molestum, si ea, quæ benè meruit immortalis Harveus, fusiùs exponere aggrederer. Non tamen ulterius pergam, ne magni viri laudes, ingenii culpâ, deteram. Sufficiant igitur quæ de vitâ, moribus, atque inventis ejus, jam dicta sunt. Non enim in animo est, vos sermone longo morari, vel per ambages ducere. Ab ejus tamen exemplo monita pauca colligere liceat.

Recordemini igitur, quæso, quotquot adestis, immortalis HARVEI industriam. Vita brevis, ars longa. Volat irrevocabile tempus. Carpe igitur diem, dum sororum fila trium patiuntur atra. Nil satis morituris, nil morientibus. Quotidie enim propiùs ab ultimo stamus. Extremus citò perveniet dies. Magnus ideo animus, conscius sibi melioris naturæ, operam dabit, ut honestè se et industriè gerat. Falsa non durant, sed diligentiæ tenor permanet. Ad ingenium ritè exercendum, scientia medica latissimum adhuc præbet campum. Natura munera sua non simul tradit, nec omnibus patent, reducta sunt, et in interiori sacrario clausa, ex quibus aliud hæc ætas, aliud postera, accipit, et depromit. Multùm adhuc restat operis, multùmque restabit, neque ulli nato post mille secula præcidetur occasio aliquid adhuc adjiciendi. Nostrum est igitur, dum artis medicæ dignitatem tueri, dum turpitudinem et infamiam evitare volumus, animos exsuscitare, intentisque ingeniis ea omnia revolvere, quæ ad artis vim atque perfectionem quovis modo conferre videantur. Hoc ergo à vobis

vobis orare liceat, ut quales præstare vos institueritis, tales usque ad exitum servetis. Efficite igitur, ut in morem HARVEI laudari possitis, sin minùs ut agnosci. Unumquemque oportet in hoc studio versatum, symbolum aliquid, utcunque exiguum, in commune medicinæ ærarium contribuere. Monstrent igitur conamina vestra vitalis auræ usum non frustrà datum esse, neque vos fruges solummodo consumere natos.

In artis autem medicæ incrementum quæ via optimè ducat fortassis quærendum. Hic autem exemplum HARVEI deviis atque errantibus tramitem monstrat. Observationibus atque experimentis sanguinis circuitum indagavit. Experimentum quidem difficile, sed cautè peractum, laboris justum adfert præmium. Quæ prius animo conjecimus, si vera, confirmat, si falsa, refellit. Hâc viâ igitur vestigiis HARVEI insistamus; hâc parvi properare debemus, et ampli. Et siqua fortè fortuna utile aliquid antea latens quærenti sese obtulerit, id nominis

gloriam,

gloriam, pereunte etiam marmore, posteris enarrabit.

Hoc quidem paucis solummodo exspectandum. Studendum tamen est non tantum, ut plus sciatis, sed ut meliùs. Ad ipsam igitur naturæ normam recurrendum est, si exoptetis, ut vel vobis honori, vel amicis utilitati, vel reipublicæ emolumento, esse possitis.

Si ea, quæ modò diximus, si immortalis HARVEI exemplum, apud auditores hodiernos, ad artem medicam per experimenta excolendam, studium atque ardorem excitabunt, summâ quidem afficiar voluptate. Ne tamen inani nunc videar fungi munere, in animo est, honoris palmam, utcunque exiguam, instituere, quæ generoso cuique Candidato ingenium atque industriam exercendi occasionem præbeat. Hâc ratione imprimis reverentiam nostram adversus venerabilem HARVEUM, qui tam multa atque præclara instituit, ut tum æquales tum posteros ad laudis gloriam excitaret, adhibere aliquatenus volumus. Et fortassè etiam ingenio aliter

aliter cunctabundo portam pandat, unde summum sibi impetret honorem, summamque arti salutiferæ adferat utilitatem. Talis enim palma, haud prætio sed honore æstimanda, tardis stimulum, alacribus oblectamentum præbet. Atque dum inter omnes fervet opus, aliquid saltem exspectandum, quod communi utilitati inserviat.

His igitur adductus, decrevi, dum res et ætas patiuntur, dumque studiosorum conamina nostrum fovent desiderium, numisma aureum, venerando Harvei nomine inscriptum, quotannis proponere, quæstionem aliquam, per experimenta indagandam, publico examini subjicere, ingeniique mercedem, æquo jure decretam, festo solenni in Harvei honorem instituto tradere. Inter varias autem corporis partes, quid meliùs primam quæstionem suppeditare potest, quàm ipse Sanguis? De hoc fluido, quo quidem immortalis Harveus summum sibi honorem et meritus, et adeptus est, plurima etiamnum indaganda restant: inter alia coloris rubri causa adhuc latet. Viri quidem solertes

lertes apud recentiores hac in re per experimenta haud parùm progressi sunt; aliisque viam quasi patefecerunt. Multùm tamen agendum restat; atque si vestris exercitationibus experimenta jam in medium prolata, vel refelluntur, vel confirmantur, labor haud inutilis, haudque injucundus erit. Si autem, favente Numine, fortunatus aliquis ex fumo lucem dare poterit, et opus et studium remunerabit segete lætâ.

Hanc igitur quæstionem nunc proponere liceat: Unde color sanguinis? Atque hac indagatione nihil ampliùs in votis est, quàm ut memoriæ HARVEI debitos persolvamus honores, ut exemplum ejus, quo ars medica imprimis excolenda, haud passibus æquis sequamur, atque denique ut experimentorum utilitas omnibus pateat.

His expositis, haud ampliùs morandi causa, quàm ut vobis, Auditores spectatissimi, gratias reddam. Non equidem volo vos inanibus lactare blanditiis; compertum autem habete, quod ubicunque

ubicunque terrarum vitam postea agetis, Tros enim Tyriusque mihi nullo discrimine habetur, vota mea vos semper comitabuntur.

Ut morbo detentus prospere consulere possitis, ut medici officio ex omni parte ritè fungi queatis, ut per longum annorum decursum, quidquid felix faustumque est, abundè contingat, ut generi humano diu læti intersitis, ut seri ad cœlum redeatis, concedat Deus Optimus Maximus.

D I X I.

7·12·1979

